

*Humanismi*  
ad annum natalem ducentesimum  
oratio panegyrica siue funebris

## De origine uocum humanitatis et humanismi\*

Vox *humanismi*, sodales, nunc omnibus in ore est. Quis ignorat? Cum libros doctiores euoluimus, cum periodica uulgaria uel ephemerides explicamus, etiam atque etiam incurrimus in hoc nomen *humanismi* (quod Italice redditur *umanesimo*, Hispanice *umanismo*, similiter Francogallice, Anglice, Germanice); nec rarius inuenitur adiectiuum quod ab *humanismo* deriuatum est: nam *humanisticus* dicitur is qui *humanismo* operam nauat, *humanismum* exsequitur. Percurrite, si uultis, machinam illam inquisitoriam quae *Google* nominatur: ibi multo plus quam septuagies centena milia (7.000.000) locorum inuenietis sub una uoce Anglici *humanism*, omissis locis Italicis, Germanicis, ceteris.

Quod eo magis mirabile uideri possit quod ipsa forma huius uerbi non nimis uenusta est. Quam si Cicero aspexisset, certe reformidauisset; est enim admodum turpiter composita e duabus partibus parum inter se congruis: *human-ismus*. Quarum prima Latina est - nam Latine dicimus *humanus*, *humanitas* -, altera pars autem Graecos sapit; nam *ismus* est in nominibus Graecis ut *hellenismus*, *soloecismus*, quae rite deriuata sunt a uerbis ἐλληνίζειν, σολοικίζειν - sed nusquam, ut nostis, inuenitur uox *humanizein* aut, si quis malit, *humanizare*. Foedus igitur uel ipsa compositione hic *humanismus* est, centaurus aliquis bimembris, e dimidia parte tantum humanus. Quae foeditas nimirum non in uno *humanismo* inuenitur; nam aequae turpiter dicimus etiam *socialismum*, *liberalismum*, *idealismum* sescenta alia, quae uerba plurima saeculo duodeuicesimo exeunte aut undeuicesimo ineunte formata sunt.<sup>1</sup> Quo tempore, ut nostis, usus Latinae linguae ualde deminuebatur.

De *humanismo* multiplici, sed omnibus grato

Quid igitur sentiunt homines de hoc centauro? Rem dico omnibus notam, tamen aliqua admiratione dignam: paene omnes qui hac uoce *humanismi* utuntur, eum ut utilem bonumque ualde probare uidentur et praedicare. Etiam tyranni crudelissimi et quos ab humanitate alienissimos credas *humanismum* tamen magni fecerunt, ut Iosephus Stalin<sup>2</sup> et Adolfus Hitler,<sup>3</sup> cuius asseclae quidam uocem *humanitatis* quidem reiecerunt (quoniam nimis amans pacis atque humani generis uidebatur), *humanismum* tamen siue *studia humanistica* minime respuerunt.<sup>4</sup> Pauci sunt qui contra mussitare ausi sint. Vt Martinus Heidegger philosophus Germanus in epistula tam celebri quam obscura *De humanismo* scripta<sup>5</sup> aut alius philosophus, Petrus Sloterdijk, qui in Germania quidem animos nuper maxime perturbauit, quod eum multi humanitate reiecta homines tamquam bestias in stabulis zootrophisue ali et educari uelle

\* Oratio habita in Conuentu „Humanitas“ dicto Neapoli die 20 mensis Iulii A.D. 2007. Katharinae Kagerer, quae orationem primum patienter auscultauit, deinde scriptam multis locis emendauit, ex animo gratias ago.

<sup>1</sup> Sagacissime de omni hoc genere uerborum disputauit Rüegg (1946/1973), 171 sq.

<sup>2</sup> Secundum Rüegg (1950/1973) 182, qui laudat Berdjajew.

<sup>3</sup> *Mein Kampf*, Monachii 1930, 469: iuuentutem Germanam magis in „studiis humanitatis“ („den humanistischen Fächern“) educari debere quam in mathematica aut artibus physicis. Cf. Apel/Bittner (1994) 221 sqq.

<sup>4</sup> Apel/Bittner (1994) 226 sqq.; cf. Hermann Gieselbusch et al., *Humanistische Bildung im nationalsozialistischen Staate*, Lipsiae/Berolini 1933

<sup>5</sup> Heidegger (1947), cf. Buck (1987) 438-440: *humanismum*, qui quidem traditus sit, reicit, quia ab aliqua finitione humanae naturae proficiscatur, cum ea natura in mera „ex-sistentia“ („Ek-sistenz“) hominis posita sit. Ac multi riserunt quae de homine tamquam pastore existentiae (p. 75 „Der Mensch ist der Hirt des Seins“) nimis bucolice scripsit. Id certe recte uidit multiplicem usum uocis *humanismi* ex eo ortum esse quod alii aliter de hominis uerissima natura iudicarent.

crederent.<sup>6</sup> Sed his exceptionibus omissis etiam philosophos plurimos *humanismi* defensores uidemus. Vt sapientium Francogallorum notissimus Ioannes Paulus Sartre existentialismum suum, quem dixit, apertis uerbis uoluit esse *humanismum* quendam.<sup>7</sup> Ac nuperrime etiam Benedictus XVI. sanctissimus papa se noui *humanismi* fautorem esse professus est, ita tamen ut nullus esse possit *humanismus* nisi qui sit pius ac religiosus.<sup>8</sup> O quanta inesse debet suauitas huic *humanismi* uerbo ut tot uiris tam diuersis tantopere arrideat!

Sed nos nunc non de subtilissimorum ingeniorum opinionibus disputare uolumus, qui quotannis nouos *humanismos* sibi excogitant: est enim etiam *humanismus realis*, est *humanismus nouus*, *criticus*, *euolutionarius*, *interculturalis*, sunt plurimi alii, quos enumerare taedet<sup>9</sup> - nos autem contra id primum quaerimus, quid homines uulgo sentiant cum *humanismi* uoce in sermone communi utantur. Quo loco uos rogo, sodales, ut mihi ignoscatis, si maxime de eo usu loquar, qui nunc in lingua Germanica obtinet. Nam is patrius sermo mihi melior notus est quam aliorum linguae; suspicor tamen ne in eis quidem res ualde esse diuersas, cum nunc tanta sit recentium linguarum inter se similitudo (ut iam ducentos abhinc annos Fridericus Augustus Wolf merito dixerit de quadam lingua Neo-Europaea communi - „Neu Europaeismus“<sup>10</sup>).

Est igitur, si recte iudico, uocis *humanismi* intellectus siue sensus quadruplex (si minoribus neglectis ea tantum spectamus quae maxime conspicua sunt). Nam primus intellectus est eorum, qui *humanismum* idem fere esse uolunt atque *humanitatem* id est philanthropiam siue beneuolentiam erga homines: Quicumque aliquid agit quod commodis hominum seruiat, praesertim infirmorum et inualidorum, is *humanismum* exercere aut opus *humanisticum* facere existimatur.<sup>11</sup> Hoc modo iam Ioannes Wolfgang Goethe hac uoce usus est, cum adulescentiae suae tempore in rebus iudicialibus et poenalibus *humanismum* ualde auctum esse dixit<sup>12</sup> (uoluit dicere *humanitatem* siue clementiam).

Alter usus huius uerbi diuersus est; pertinet enim ad rationem educationis eum in modum ut *humanismus* sit conformatio animi puerilis ad *humanitatem* aliquam. Curandum enim esse existimant, qui sic *humanismo* utuntur, ut homines ueri homines fiant, naturam propriam hominis exprimant; id autem fieri credunt litteris carminibus artibus praecipue antiquis id est Graecis et Latinis (quae olim etiam *humaniora* dicebantur). Vnde in Germania praeter uulgaria gymnasia sunt etiam gymnasia *humanistica* appellata, in quibus Latine et Graece discitur.

<sup>6</sup> Sloterdijk 1999 (interdum magis facete quam uere): A ceteris eo certe differt quod *humanismum* non quidem respuit, sed potius ut parum ualidum contemnit. Cf. praeter alios Ludger Lütkehaus, „Der Denker fällt vom Hochseil“, *Der Spiegel* 38, 1999, 256-259. Cf. adn. 53.

<sup>7</sup> *L' existentialisme est un humanisme*, Parisii 1946 (Germanice 1947 et saepius: *Ist der Existentialismus ein Humanismus?*; cf. Buck [1987] 440 sq.). Eo ex aliqua parte Heideggero cum consentire uidetur, quod certam hominis naturam negat.

<sup>8</sup> Cf. inter plurima: <http://www.zenit.org/article-14896?l=german>. *Christianum humanismum* praeterito saeculo maxime professus est Iacobus (Jacques) Maritain (*Humanisme intégral* [...], Parisii 1936); aduersati sunt Rudolfus Bultmann theologus et alii; cf. Buck (1987) 441-445.

<sup>9</sup> Nonnulla exempla uetustiora inuenies apud Rüegg (1950/1973) 181-183 cum notis p. 338 et Buck (1987) 435-448; cf. etiam Pape apud Menze (1974) 1226-1230. Recentissima quaeque exhibet machina Googliana, ubi „Lexicon noui humanismi“ („Wörterbuch des Neuen Humanismus“) decem *humanismos* decantat.

<sup>10</sup> Wolf (1807) 95

<sup>11</sup> De notione nunc praeualente in lingua Anglica Murray Krieger in: Birus (1996) 11-12: „When people hear that I'm a humanist [...], they somehow confuse it with the word ‚humanitarian‘ [...] and [...] they're confused into believing that a humanist is a nice person.“

<sup>12</sup> *De fictis et factis (Dichtung und Wahrheit)*, pars III lib. 13 (1812/13): „in der Rechtslehre [...] verbreitete sich der Humanismus, und alles wetteiferte, auch in rechtlichen Verhältnissen höchst menschlich zu sein. Gefängnisse wurden gebessert, Verbrechen entschuldigt, Strafen gelindert [...]“ (*Poetische Werke, vollst. Ausg.*, vol. 8, Stutgardiae 1952, p. 661). (Cf. adn. 131) Similiter Ericus Mielke in Re publica Germanica orientali (DDR) minister Explorationis arcanae (Stasi) die 10 m. Oct. 1989 ad uerbera et fustes hortatus esse dicitur hisce uerbis: „Satis datum est humanismo“ („Jetzt ist Schluss mit dem Humanismus“); u. <http://www.geteilte-traeume.de/verlauf.html>.

Ab hoc usu secundo transitus est aliquis ad tertium. Nam ubique terrarum, puto, nomine *humanismi* appellatur illa aetas quae etiam a renascentibus litteris nomen habet uocaturque nunc *renascentia* (*rinascimento* siue *renaissance*). Quis enim nescit eo ipso tempore maxime floruisse studia Latina, etiam Graeca? Quibus puerorum animi ut uix umquam antea imbuebantur, uocabantur autem *studia humanitatis*.

Quartus autem usus *humanismi* laxius cum ceteris cohaeret, qui nunc imprimis in America et terris anglophonis inuenitur. Ibi *humanistas* sese dicunt qui deum seu uim diuinam esse negant, qua neque ad rerum causas cognoscendas neque ad mores emendandos opus sit. Quare ei *humanistae* fere idem sunt atque *atheï* aut, ut nunc malunt, *atheistae*, quam tamen uocem ipsi ut molestiorem fugiunt. Olim ei homines *libere sentire* dicebantur (*Freidenker*, *freethinkers*); post Bellum Maximum secundum autem eis quoque magis placuit uocabulum *humanismi* - quod nunc uidelicet tam piis quam impiis aequae carum est.

Non unum igitur *humanismum* reperimus, sed si numerare fas est, minimum quattuor *humanismos*, qui id unum commune habent, ut aliquo modo cum notione hominis cohaerere uideantur. Qui enim *humanismum* in philanthropia ponit, mansuetudinem et clementiam maxime propriam hominis putat; qui *humanismum* esse uult aliquam rationem educationis, homines ad ueram hominis naturam artibus expoliri debere credit; qui de aetate *humanismi* loquitur, homines tum maxime perfectioni hominis studuisse existimat; qui denique *humanismum* eum dicunt qui uim diuinam respuat, hominis ingenium ut per se bonum ualidumque commendant. Consentunt igitur hac una parte hae significationes *humanismi*, ceterum inter se tantopere dissentiunt, ut *humanismus* iam non magis centauri quam chamaeleonis uersipellis speciem praebeat.

De Romanae *humanitatis* natura duplici

Quomodo igitur factum est ut res tam diuersae uno nomine dicerentur? Id minus mirabile uidebitur, si originem uocabuli considerauerimus.<sup>13</sup> Nemo enim fere nescit *humanismum* hunc recentem fluxisse e uoce *humanitatis*. Nam is quem nos nunc in educatione *humanismum* dicimus aut *studia humanistica*, ea, ut iam dixi, olim uocabantur *studia humanitatis* aut etiam *humaniora*.<sup>14</sup> *Humanismi* mater igitur, ut breuiter dicam, est *humanitas*, quae uox sine dubio ualde Latina est. Inuenitur enim saepissime usurpata a Cicerone optimisque scriptoribus; neque ulla est uox Graeca quae ei satis respondere aut par esse possit (nam ἀνθρωπισμός, quem Diogenes Laertius iam Aristippo Socratico tribuit,<sup>15</sup> fortasse sero ad exemplum Romanae *humanitatis* effictus est). Hanc igitur uocem *humanitatis* si diligenter perpendimus -

<sup>13</sup> *Humanismi* historiam uniuersam adumbrare conatus est Augustus Buck (1987), uir de studiis Romanicis optime meritus. Qui liber, quamquam multifaria doctrina ornatus est, eo minus utilis uidetur, quod Buckius, ut multi alii, nullo discrimine habito modo de nomine *humanismi*, modo de re ipsa, qualem sibi fingit, loquitur: Putat autem esse *humanismum* (p. 9, item p. 34) „humanae naturae perfectionem ad quam homo sui ingenii uiribus usus assurgat“ („die Vorstellung eines sich aus eigener Kraft vervollkommnenden Menschen“): unde in Medio aeuo nimis cultui Dei dedito nihil *humanismi* esse potuisse credit. - Commodiora sunt quae magis ad historiam uocabuli spectant, ut Rüegg (1946/1973), Menze/Romberg/Pape (1974), Birus (1994).

<sup>14</sup> *Humaniora* siue *humaniores litteras* neque esse antiquas neque esse posse iam Wolfius notauit (1807, 12 adn.), „weil der Comparativ einen Wink auf eine Relation enthält, die den Alten, wenn sie *studia humanitatis* sagten, gewiß nicht einfiel“. Quare originem suspicatus est mediaeualem. D(ieter) Klemen, „Humaniora“ (in: Ritter, *Hist. Wörterbuch*, Bd. 3 [1974], 1216-1217) primum locum („vermutlich erster Beleg“) anno 1619 tribuit; sed de *studiis humanioribus* iam Erasmus (cf. Pfeiffer [1931] 7) et Iacobus Pontanus (cf. infra p. 17) dixerant.

<sup>15</sup> D.L. 2,70: *Praestare mendicum quam non educatum esse: nam illi deesse pecuniam, huic ἀνθρωπισμόν* (i.e. *humanitatem*). Quo loco notandum est hoc uerbo ἀνθρωπισμός etiam nunc in Graecia dici *humanitatem* aut *humanismum* (pro quo etiam οὐμανισμός) - Aristippo ipsi hanc uocem ἀνθρωπισμός Bruno Snell (1947/1985) 237 adscribit, quam uertit „gebildetes Menschentum“.

quem in usum nobis *Thesaurus linguae Latinae* utilissimus praesto est -, eam paene aequè multiformem ac uersipellem esse cognoscimus atque ipsum illum *humanismum* nostrum.

Quod ne ueteres quidem fugit. Nam Aulus Gellius in loco notissimo *Noctium Atticarum* (13,17) duas notiones *humanitatis* distinguit: „*Qui uerba Latina fecerunt quique his probe uti sunt, humanitatem non id esse uoluerunt quod uolgens existimat quodque a Graecis φιλανθρωπία dicitur et significat dexteritatem quandam beniuolentiamque erga omnes homines promiscam, sed humanitatem appellauerunt id propemodum quod Graeci παιδείαν uocant, nos eruditionem institutionemque in bonas artis dicimus. Quas qui sinceriter percipiunt adpetuntque, hi sunt uel maxime humanissimi. Huius enim scientiae cura et disciplina ex uniuersis animantibus uni homini data est idcircoque humanitas appellata est.*“ Videmus igitur eas notiones *humanismi* quas primam et secundam diximus, mansuetudinem et eruditionem, in Latina *humanitate* iam quasi praeformatas esse: altera est enim illa φιλανθρωπία, id est beneuolentia erga homines, altera παιδεία, id est educatio liberalis. Atque optime hoc quidem Gellius. Eo tamen ualde errat quod illum primum usum, scilicet φιλανθρωπίας, posteriorem existimat, hunc secundum, scilicet παιδείας, priorem. Nam in Cicerone quidem, cuius libri uetustissima exempla *humanitatis* praebent, utrumque usum huius uocis reperimus. Nec Gellius quomodo hae diuersae notiones in una uoce ortae essent docuit.

At id ipsum nunc quaerimus. Vnde is unus quasi fons *humanitatis* in duos riuulos diductus est? Haec quaestio a Gellio neglecta uiros doctos recentiores non parum uexauit, cum de origine *humanitatis* inter se disputarent.<sup>16</sup> Inter quos uel notissimus fuit Ioannes Gotfridus Herder, amicus Volfangi Goethe, philosophus, theologus, poeta, criticus ingeniosus, ubique suus, saepe nouator. Is in suis *Epistulis ad augendam humanitatem* („Briefe zu Beförderung der Humanität“) scriptis (inde ab a. 1793 editis),<sup>17</sup> ipsum nomen *humanitatis* primus Germanice transtulit appellauitque *Humanität*. Eam autem esse uoluit non solum naturam indolemue humani generis („Humanität ist der Charakter unsres Geschlechts“<sup>18</sup>), sed etiam ultimum finem educationis, cui id propositum esset ut homo homo fieret id est *humanitatem* indueret. De origine autem uocis *humanitatis* sic iudicauit:<sup>19</sup> Fuisse illam quidem, si rem ipsam spectes, iam apud Graecos ueteres, cum omnes eorum sapientes homines feros barbarosque mitiores et humaniores reddere studuissent;<sup>20</sup> nomen autem *humanitatis* inuentum esse a Romanis.<sup>21</sup> Cur et quomodo? Quia Romanorum proprium esse Herderus statuit seueritate iuris legumque uti aduersus minores aut subditos, ut seruos, liberos, peregrinos, hostes. Ea iura qui acerrime tutatus esset, eum uirum iustum uocatum esse, non tamen humanum. Qui autem de illo summo iure aliquantum concessisset, ut magis hominis quam ciuis Romani officio fungi uideretur, eum denique pro humano aut humanissimo habitum esse. Atque haec Herderus de prima origine - quae pertinent tantum ad primam notionem, sc. φιλανθρωπίας.

<sup>16</sup> Huius disputationis historiam adumbrare conati sunt Rieks (1967) 14-23, Thome (2000) 20-27, ubi tamen uirorum doctorum sententiae magis enumerantur quam perpenduntur. Acutius iam Haffter (1956), breuissime Schadewaldt (1973), 46 sq.

<sup>17</sup> Herder (1793/1829). De *humanitate* Herderiana egit doctissime Fridericus Klingnerus (1947/1979), quem uno loco correxit Reimar Müller (1986); cf. etiam Mülleri *Menschenbild und Humanismus der Antike*, Francofurti ad M. 1981.

<sup>18</sup> Herder (1793/1829) 137. Similiter iam antea in *Sententiis de humani generis historia* („Ideen zur Geschichte der Menschheit“), pars III lib. 15, in: *Sämmtliche Werke: Zur Philosophie und Geschichte*, pars VI, 278: „Humanität ist der Zweck der Menschennatur“.

<sup>19</sup> Herder (1793/1829) 139-142.

<sup>20</sup> Agit de hac re etiam postea in *Sententiis de historia et critica poesis artiumque pingendi sculpendique* („Ideen zu Geschichte und Kritik der Poesie und der bildenden Künste“, 1794-1796) cap. 2 (in: *Sämmtliche Werke: Zur schönen Literatur und Kunst* [1829], vol. 15, 68 sq.): ubi omnes legum latores, poetas, philosophos Graecos educatores morum fuisse uult.

<sup>21</sup> „Unter den Römern also, denen das Wort H u m a n i t ä t eigentlich angehört, fand der Begriff Anlaß genug, sich bestimmter auszubilden“ (Herder [1793/1829] 141).

Vnde igitur illa notio eruditionis siue παιδείας, quam maxime quaerimus? Iterum audite Herderum, quem paene ad uerbum Latine uerto: „Sed quoniam studia Graeca et imprimis philosophiae Graecae plurimum eo contulerunt, ut Romani feros mores suos seueritatemque illam mitigarent, ut leniores, comiores, aequiores fierent, potuitne eis litteris artibusque pulchrius nomen dari, quam ut *humanae artes* (siue *studia humanitatis*) uocarentur?“<sup>22</sup> Ergo exstitit, ut idem Herderus ait, „*humanitas* durarum legum iurumque domitrix, filia philosophiae et bonarum artium“.<sup>23</sup> Pulcherrima doctrina et ingeniosissima, cuius uestigia quaedam nunc quoque post duo saecula non immerito in doctorum scriptis reperiuntur.<sup>24</sup> Sed estne uerissima? Herderus quidem eam magis ingenio diuinavit quam exemplis probauit. Quod si nos lexicis freti usum uerborum perscrutamur, uidemus eum qui de summo iure decedat potius *aequitati* quam *humanitati* consulere dici,<sup>25</sup> qui seruis aut hostibus parcat, eius laudari magis *clementiam* quam *humanitatem*,<sup>26</sup> si quidem locos uetustiores spectamus. Neque Herderus quo tempore haec uox *humanitatis* nata aut cum litteris Graecorum coniuncta esset indicauit.

Hanc autem quasi lacunam expleuit uno saeculo post Maximilianus Schneidewin magister gymnasii in libro quem scripsit hoc titulo *Quid ueteres de humanitate senserint* („Die antike Humanität“). Is Herderum secutus ipsam uocem *humanitatis*<sup>27</sup> ex eo ortam putauit quod Romani sensissent se Graecis litteris artibusque indigere ut moribus seueris grauibisque suis aliquid noui atque exotici adderent id est, ut alii postea dixerunt, *Romanitatem* ac uirtutem suam *humanitate* et artibus expolirent.<sup>28</sup> Id autem factum esse a Scipione eiusque amicis audacter affirmauit Schneidewinius: „Nata est *humanitatis* ratio in grege Scipionum“<sup>29</sup>. Nimirum hunc ipsum Scipionem Africanum familiarem fuisse accepimus Graecorum doctissimorum ut Polybii historici et Panaetii philosophi Stoici.<sup>30</sup> Praeterea Cicero in libris *De re publica* scriptis eundem Scipionem inducit praedicantem *artes humanitatis* (1,28), cum eum hominem laudibus extollat, qui „*nihil umquam nisi sempiternum et diuinum animo uolutare*“ uelit, „*cui persuasum sit appellari ceteros homines, esse solos eos qui essent*

<sup>22</sup> „Und da hiezu das Studium und die Liebe der griechischen Weltweisheit viel that, daß sie den rauhen, strengen Römer nachgebend, sanft, gefällig, billigdenkend machte, konnte den bildenden Wissenschaften ein schönerer Name gegeben werden, als daß man sie *m e n s c h l i c h e W i s s e n s c h a f t e n* nannte?“ (Herder [1793/1829] 142).

<sup>23</sup> „eine Bezählerinn harter bürgerlicher Gesetze und Rechte, [...] die eigentliche Tochter der Philosophie und bildenden Wissenschaften“ (Herder [1793/1829] 142)

<sup>24</sup> Cf. Volfangum Schadewaldt (1973), praecipue p. 50-52, ubi uocem *humanitatis* quasi oppositam fuisse dicit moribus nimis durae ciuitatis Romanae („als Opposition und Komplement gegenüber der sich formalisierenden Gesellschaft“, cf. p. 56 „komplementäre Erweiterung der altrömischen *uirtus*“). Nec nego saepius opponi a Cicerone *humanitati* aut *uirtutem* aut *grauitatem* aut *seueritatem*.

<sup>25</sup> *ThL* I 1015, 64 sqq.: „saepissime *aequitas* opponitur iuri civili stricto“; cf. praesertim Cic. Caec. 65 (et totam orationem).

<sup>26</sup> Cf. praesertim Hellfridum Dahlmann, „Clementia Caesaris“ (primum 1934, saepius editum), nunc in: H. D., *Kleine Schriften*, Hildeshemii 1970, 116-131 (imprimis p. 118).

<sup>27</sup> De uariis significationibus uocis *humanitatis* optime agitur in Schneidewin (1897) pp. 31-40, ubi tamen omnia exempla e Cicerone sumpta sunt. Nam ex eius scriptis uelut e uerissimo speculo omnem *humanitatem* antiquam elucere credidit („für uns der wesentliche Spiegel der antiken Humanität“, p. 18).

<sup>28</sup> Schneidewin (1897) 29 et praecipue p. 34, cf. infrad adn. 31.

<sup>29</sup> Schneidewin (1897) 22: „Die Geburtsstätte des Humanitätsprinzips liegt in dem Kreise der Scipionen [...]“ - Cicero (Lael. 69) dixerat obscurius de aliquo Scipionis grege. *Circulum* („Kreis“) Scipionis amicorum litteris deditorum adumbravit Gotfridus Bernhardt, *Grundriß der Römischen Litteratur*, Brunsvigae 1857, 200-203; „Scipionischer Kreis“ legitur apud Theodorum Mommsen, *Römische Geschichte* (1854-1856), vol. 2, Berolini 1889, 430. Haffterus (1954/1967) 480 primus dubitauit, num totus ille grex esset *somnium Tullianum* („ein Wunschtraum des Cicero“, cf. 1956, 301); *humanitatem* certe totam Ciceroni uindicauit. Deinde Hermannus Strasburger Scipionis circulum nullum fuisse affirmauit („Der Scipionenkreis“, *Hermes* 94, 1966, 60-72); sobrie iudicat A.E. Astin, *Scipio Aemilianus*, Oxonii 1967, 294-306 („The ‚Scipionic Circle‘ and the Influence of Panaetius“).

<sup>30</sup> Nec tamen Schneidewinius *humanitatis* notionem formatam a Panaetio credidit, sed ab origine uocis omnem Graecorum phiosophiam submouit.

*politi propriis humanitatis artibus. Ubi cum de omni sapientia, tum de geometria, astrologia, physica cogitat, quae omnes artes sine dubio Graecae sunt. Nonne hoc loco non Cicero, sed Scipio ipse ille loqui existimandus est?*

Hanc igitur Schneidewinii sententiam decem annis post copiosissime defendit et auxit Ricardus Reitzenstein, tum professor Argentoratensis, in oratione quam habuit ad diem natalem imperatoris Gulielmi II. ornandum (qui humanioribus studiis non ualde amicus erat). Inscripta est autem *De origine et natura humanitatis apud antiquos* („Werden und Wesen der Humanität im Altertum“, 1907). Is primum Schneidewinii exemplum secutus multiplicem illam naturam *humanitatis* Romanae descripsit, in qua non solum mansuetudo et eruditio, de quibus dixi, inessent, sed etiam urbanitas morum, elegantia sermonis, lusus et facetiae. Quomodo igitur haec tam multa in unum concreuisse et coaluisse dicamus? Respondit Reitzensteinus: „Facile sentimus haec omnia reuocari debere ad unam certam doctrinam“, cuius pater quis nisi Panaetius ipse amicus Scipionis?<sup>31</sup> „Ex huius uiri (Panaetii) doctrina morali“, inquit, „fluxerunt omnes illae de uirtute ac moribus sententiae, quibus Romani nobiles postea dediti erant.“<sup>32</sup> Ergo Panaetius Rhodius Romanae *humanitatis* pater fuit!

Quam feliciter igitur accidit quod hanc doctrinam Panaetianam non diuinatione aliqua suspicari, sed cognitione certa intellegere possumus, etsi non ex ipsius scriptis, quae perierunt, sed tamen e libris quos Cicero Panaetium secutus *De officiis* scripsit. Ibi igitur illam *humanitatem* Panaetianam siue Reitzensteinianam explicatam studiose quaerimus - sed tamen frustra! Vox illa quidem ipsa nec numquam nec saepe occurrit, sed cum multa ibi de natura ac uirtutibus hominis disputentur, nihil omnino de illa coniunctione mansuetudinis et eruditionis dicitur, quae *humanitatis* Romanae maxime propria est.<sup>33</sup> Accedit id, quod est maximum, quod ante Ciceronem apud scriptores nulla usquam *humanitatis* fit mentio. Accedit etiam id quod Otto Hiltbrunner in *Lexico rerum antiquarum et Christianarum*<sup>34</sup> monuit: uix credibile esse hanc uocem tam Latinam ortam esse e conuictu Scipionis aliorumque cum Panaetio Graeco.<sup>35</sup> Qui si quando inter se de philosophia disputauiissent, id eos sine dubio Graece fecisse (neque enim, ut nostis, ante Ciceronem ulla fuit Latine expressa philosophia). Credamusne igitur Panaetium Graece ea disseruisse de natura hominis siue de educatione, quae postea Scipio Laeliusque Latino nomine *humanitatis* designaturi essent? Mirabile est haec inuenta Reitzensteiniana propter auctoritatem uiri doctissimi quadraginta annos ab omnibus fere pro ueris habita esse adeo,<sup>36</sup> ut nunc quoque non desint qui ea acerrime defendere conentur. Inter quos erat etiam Volfangus Schadewaldt optimus magister olim meus,<sup>37</sup> qui mihi semper honoris causa nominandus est.<sup>38</sup>

<sup>31</sup> Reitzenstein (1907) 5: „Wir empfinden leicht, eine bestimmte Theorie muß dem allem zu Grunde liegen“, et postea (ut Schneidewinius): „Dem *homo Romanus* [...] ist in einem bestimmten Kreise mit Bewußtsein der *homo humanus* entgegengestellt worden.“ Sed haec uerba, quantum scio, numquam inter se opponebantur.

<sup>32</sup> Reitzenstein (1907) 7: „[...] wie aus der Ethik dieses Mannes die Standesmoral der vornehmen Gesellschaft Roms hervorwuchs“.

<sup>33</sup> Cautissime Maximilianus Pohlenz, *Die Stoa: Geschichte einer geistigen Bewegung*, vol. I, Gottingae (1959)

<sup>4</sup>1970, 272-275, qui cum Panaetii doctrinam multum ualere in Ciceronis scriptis contendat, ab *humanitate* eum segregat (p. 273): „Es ist kein Zufall, dass gerade in den Büchern, in denen Cicero Panaitios folgt, das Wort *humanitas* ganz zurücktritt.“ Aliter Heinemann (1931) 303 qui Panaetium „patrem *humanitatis* Romanae“ non negat, „[...] nur ist der Apfel vom Stamme ziemlich weit weggefallen“.

<sup>34</sup> Hiltbrunner (1994) 725 sq., qui tamen, quod miror, Ciceronem in *humanitate* definienda Panaetium secutum putat.

<sup>35</sup> Sed cf. iam Brunonem Snell (1947/1985) 237.

<sup>36</sup> Assensus est etiam Eduardus Norden, *Die Bildungswerte der lateinischen Literatur und Sprache auf dem humanistischen Gymnasium*, Berolini 1920, 32 adn.1, quamquam plus ualere Menandrum quam Panaetium in *humanitate* uidit.

<sup>37</sup> Schadewaldt (1973): In plurimis „testimoniis certis“ („eindeutige Zeugnisse“) *humanitatis* Scipioniana, quae affert (p. 52 sqq.), uox *humanitatis* ne legitur quidem. Cf. supra adn. 24.

<sup>38</sup> Reitzensteinium ante Schadewaldt modeste defenderant iam Carolus Ioannes Abel, „Die kulturelle Mission des Panaitios“, *A&A* 17, 1971, 119-143 et Volfangus Schmid (in recensione libri Francisci Beckmann, *Humanitas: Ursprung und Idee*, Monasterii 1952), *Gnomon* 28, 1956, 589-601, nunc in: Oppermann (1967) 483-

Sed haec multorum qui Graeca studia defendunt (et iure defendunt!) est quasi pertinacia. Nimum tribuunt Graecis suis, cum ferri non posse credunt, ut haec uox *humanitatis* ipsa totiens ab omnibus humanistis qui dicuntur usurpata non aliquam originem Graecam redoleat. Sed sint contenti eis quae Cicero in epistula ad Quintum fratrem (1,1, de quo loco postea dicemus) libere concedit: nempe humanitatem ipsam e Graecia uenisse ad ceteros homines, Romanos quoque - *humanitatem* autem ibi intellegit litteras et artes liberales, non uocem notionemque *humanitatis*.<sup>39</sup> Huius originem Romanam his septuaginta annis multi demonstrare conati sunt, inter quos eminuerunt Rudolphus Pfeiffer (1931),<sup>40</sup> Fridericus Klingner (1947),<sup>41</sup> Ioannes Reiner (1949),<sup>42</sup> Henricus Haffter (1954),<sup>43</sup> alii, post quos cum modestia tacere praestaret, nisi ea ipsa quaestio, ea lis sub iudice adhuc relicta esset, quam ratione illae duae quasi partes *humanitatis*, de quibus Gellius dixit, φιλανθρωπία et παιδεία, in unum uenerint. Id autem, ut uere dicam, non in obscura aliqua regione historiae uetustae absconditum iacet, sed, e primis testimoniis magna e parte cognosci potest.

De *humanitatis* significatione principali (i.q. *hominem esse*)

Atque, ut iam dixi, ante Ciceronem nusquam *humanitatis* uocabulum occurrit. Nam Plautus et Terentius comici utuntur illi quidem non semel adiectiuo *humanus*, ut res significant quae aut ad hominem pertineant - ut est illud a uiro curioso dictum: *homo sum, humani nil a me alienum puto* (Ter. Haut. 77) - aut quae hominem maxime deceant, ut in hoc Plautino (Merc. 319): *humanum amare est, humanum autem ignoscere est*; ubi iucundissime *humanum* primum dicitur de natura hominis imbecilla<sup>44</sup> (*humanum amare est*), deinde de officio hominis aequi mansuetique<sup>45</sup> (*humanum autem ignoscere est*). Ex hac secunda notione facile potuit oriri illud substantiuum *humanitatis*, quod tamen scriptoribus comicis, ut dixi, non in usu est. Nec quisquam ex eis hominem eruditum *humanum* nominauit.

Prima igitur exempla nobis suppeditat Cicero<sup>46</sup> in duabus primis orationibus, quas annis a. Chr. n. 81 et 80 habuit; neque ea perpauca sunt. Sequi uidetur qui dicitur *Auctor ad Herennium*, quem nunc plurimi Ciceroni aequalem aut etiam tempore paulo superiorem putant; mihi autem uix dubium est, quin post Ciceronis *Rhetoricos libros* (sive *De inuentione*) suam artem oratoriam scripserit librisque Ciceronis usus sit. De quo nunc agere non licet nec

502. Tota e Reitzensteinio pendet disputatio notissima Richardi Harder (1929/1960), praesertim p. 338-340: eruditionis partes in *humanitate* Graecas putauit, mansuetudinis Romanas; utriusque communem esse uoluit absentiam utilitatis (p. 340 „etwas Zweckfreies, über die bloß praktischen Rücksichten Hinausreichendes“), propter hanc confluere potuisse inter se ueterem uirtutem nobilitatis Romanae et educationem Graecorum („der gemeinsame Punkt zwischen römischem Adelsideal und griechischer Menschlichkeit“). Paulo cautius ipse iudicauit postea (Harder [1934/1960] p. 409: illud commune nihil esse nisi aliquid proprie humanum [„etwas spezifisch Menschliches“]), quod tamen Panaetius primus uidisset (cf. praecipue p. 411).

<sup>39</sup> Non recte Pohlenz (1959/74) 273 Ciceronem illic de notione *humanitatis* dicere existimat.

<sup>40</sup> Originem *humanitatis* Romanae a Graecorum philosophia secernit: tamen in eam conuenisse putat παιδείαν Isocratis et φιλανθρωπίαν Xenophontis oratorumque Atticorum. Contra Pfeifferum disputare conatus est Harder (1934/1960), cf. adn. 38. Pfeifferum secutus est Snell in dissertatione disertissima (1947/1985).

<sup>41</sup> Vrbanitatis hilaritatisque partes in *humanitate* demonstrat (secutus Pfeifferum [1931] 3), a philosophia eam remouet: Herderum aliosque errauisse quod *humanitatem* Stoice interpretati sint. Disputatio elegantissime scripta nunc quoque utilis est, sed cf. etiam Muellerum (1988).

<sup>42</sup> Reinerus primus et paene solus, quantum scio, uidit ab *humanitate* in primis scriptis Ciceronis abesse illam notionem educationis et doctrinae: eam accreuisse post iter Graecum (a. 79-77).

<sup>43</sup> Haffterus (1954/1960) plurimum tribuit Ciceroni, cautissime iudicat de „circulo Scipionum“; cf. supra adn. 29. Adice praesertim Ottonem Hiltbrunner (1994), qui tamen *humanitatis* uocem natam esse putat e translatione Graecae φιλανθρωπίας, postea uim ualde auctam esse a Cicerone; col. 727: „Voll entfaltet sich der spezifisch ciceronische Humanitasbegriff erst allmählich.“

<sup>44</sup> Ehlers, *ThLL* VI,2/3, 3091,72 sqq.

<sup>45</sup> Ehlers, *ThLL* VI,2/3, 3093,59 sqq.

<sup>46</sup> Vtilis propter materiam diligenter digestam est dissertatio quam (auspiciis Caroli Buechner) de Ciceronis *humanitate* scripsit Mayer (1951); dolemus eam typis non esse expressam.

necesse est. At id certo uidemus Ciceronem, qui postea tantus amator uocis *humanitatis* futurus erat, in eis libris *De inuentione* inscriptis, qui sine dubio ante primas orationes compositi sunt, illud uocabulum *humanitatis* omnino non adhibere. Quod non nusquam paene exspectes, ut cum de hominum uita a barbarie et feritate ad mansuetudinem morum traducta dicit<sup>47</sup> - sed uocabulum ipsum adhuc deest. Quod si non miro cuidam casui tribuere uolumus, ueri simile, ne dicam certum uidetur eo ipso tempore quo illae orationes habitae et perscriptae sunt, id est Sulla dictatore, primum natam esse hanc uocem *humanitatis*, quae, ut uidetur, postea celeriter diffusa et distributa est uariasque mox significationes accepit. Vt saepe fit in uerbis eis, quae tesseris similia subito formantur et ad usum communem perueniunt, dicuntur autem Germanice *Schlagwörter*, Anglice *catchwords*.

Inspiciamus igitur primum orationem a Cicerone pro Quinctio (a. 81) habitam. Atque in § 51 dicit: „*Iugulare ciuem ne iure quidem quisquam bonus uolt, mauolt commemorari se cum posset perdere pepercisse, quam cum parcere potuerit perdidisse. Haec in homines alienissimos, denique in inimicissimos uiros uiri boni faciunt et hominum existimationis et communis humanitatis causa, ut, cum ipsi nihil alteri scientes incommodarint, nihil ipsis iure incommodi cadere possit*“. Sine dubio Cicero hic clementiam quandam ac misericordiam, quae bonorum uirorum propria sit, significat. Sed estne ea ipsa uirtus *humanitatis* nomine dicta?<sup>48</sup> Non puto. Nam Cicero de *communi humanitate* dicit; ea uidelicet non solum est in eo qui clementer parcat, sed etiam in eo cui parcat. Ergo *humanitas* hic non uirtus aliqua est, sed communis *humana natura* (Germanice „Menschsein“),<sup>49</sup> quam homines inter se ssic agnoscunt<sup>50</sup> ut sibi quisque caueat cum alteri parcat.

Similiter etiam in alio loco eiusdem orationis (§ 97), ubi P. Quinctius dicitur obsecrauisse Sex. Naeuium propinquum inimicum, „*ut aliquando misericordiam caperet aliquam, si non propinquitatis, at aetatis suae, si non hominis, at humanitatis rationem haberet, ut secum aliquid integra sua fama [...] transigeret*“. *Hominis rationem* habuisset Naeuius, si Quinctio propter eius mores uel probitatem pepercisset; *humanitatis* autem *rationem* habuisset, si se societate quadam communis condicionis humanae cum illo coniunctum intellexisset.<sup>51</sup> Ergo hic quoque *humanitas* est *humana natura*, non ipsa misericordia, quae tamen ex *humanitate* siue *humanitatis* *communione* nascitur.

Huc quadrare uidentur ea quoque quae Cicero in *Rosciana* anno post (80) de crimine parricidii dicit (§ 62 sq.): *Quae* (sc. *uestigia huius sceleris*) *nisi multa et manifesta sunt, profecto res tam scelestas, tam atrox, tam nefarias credi non potest. Magna est uis humanitatis, multum ualet communio sanguinis, reclamitat istius modi suspicionibus ipsa natura [...]*. Hic, nisi fallor, *ipsa natura* a patris caede reuocat, *communio sanguinis* a consanguineis, *humanitas* ab hominis. Quid aliud igitur est *humanitas* quam illa *communio humanitatis*, cuius qui meminit hominem, quia ipse homo sit, interficere non audet?

Id etiam apertius est in fine illius orationis, ubi Cicero queritur populum Romanum olim in hostes clementissimum hoc tempore etiam in proprios ciues summam crudelitatem exercere (§ 154): „*Hanc* (sc. *domesticam crudelitatem*) *tollite ex ciuitate, iudices [...]; quae*

<sup>47</sup> Cic. inv. 1,2 „[...] *quidam magnus uir [...] et sapiens [...] homines [...] ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos*.“ Quam mansuetudinem, quae barbariem transgressa est, Cicero inde a Verrinis (II 5,188, cf. infra) *humanitatem* (rep. 2,27; Flacc. 62) aut *cultum humanum* (de or. 2,33) uocat. Cf. infra adn. 85.

<sup>48</sup> Sic Franciscus Barbato in comm. (Neapoli 1934) ad l.: „sia per sentimento di umanità“ (similiter ad § 97) et Ehlers, *ThIL* VI,2/3, 3079,46. - Recte explicat Graeuus in editione Ciceronis orationum I 1, Amstelodami 1699, p. 64, qui optime laudat Cic.off. 3,27 „[...] *natura praescribit ut homo homini, quicumque sit, ob eam (ipsam) causam quod is homo sit consultum uelit*.“

<sup>49</sup> Hanc notionem (*humanitas* = *natura humana*) sub num. „I“ Ehlers (*ThIL* VI,2/3,3075,25 sqq.) a ceteris („cum emphasi“ dictis, num. „II“, 3077,20 sqq.) separat. Sed multo latius patet quam ille credit. Cf. adn. 52.

<sup>50</sup> Commemoratione dignum uidetur quod Arthurus Schopenhauer in quarta parte operis maximi sui (*Die Welt als Wille und Vorstellung*) in hac ipsa agnitione *humanitatis* fundamentum *misericordiae*, deinde omnis *ethicae* posuit.

<sup>51</sup> Recte Hiltbrunnerus (1994) 727, qui simile dictum Aristotelis commemorat.



*non modo id habet in se mali quod tot ciuis atrocissime sustulit, uerum etiam hominibus lenissimis ademit misericordiam consuetudine incommodorum. Nam cum omnibus horis aliquid atrociter fieri uidemus aut audimus, etiam qui natura mitissimi sumus assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis amittimus.*“ Hic, ut uidetis, *sensus humanitatis* idem ualet atque *miserecordia* in uerbis antecedentibus; quae misericordia ex eo oriri uidetur quod homo se homini eo ipso quod homo est - ea est enim proprie *humanitas*<sup>52</sup> - iunctum et commendatum sentit. Quo loco Cicero tempora proscriptionum Sullanarum respicit crudelissima fere omnium quae historia Romana uidit. Nonne igitur ueri simile uidetur ex illa immanitate temporum quasi e contrario uocem ipsam *humanitatis* natam esse, cum essent qui (ut Cicero) ciues monerent, ne in tanta atrocitate scelerum obliuiscerentur *humanitatis*, id est ut semper recordarentur et se homines esse et suos ciues?<sup>53</sup>

Sed utcumque haec sunt - nam in tanta paucitate testimoniorum certissima esse non queunt -, id certe notandum uidetur in his locis qui sunt uetustissimi *humanitatem* primum nihil habere in se eruditionis siue *παιδείας* (quod iam Reinerus et Hiltbrunner uiderunt),<sup>54</sup> deinde non esse uirtutem aliquam (ut mansuetudinem) aut affectum (ut misericordiam), sed esse eam communem humanam naturam e cuius conscientia et mansuetudo et misericordia profluant.<sup>55</sup> Quam ob causam uix adducor ut id credam quod Hiltbrunner comprobare studuit: nempe *humanitatis* uocem ortam esse e translatione *φιλανθρωπίας* Graecae;<sup>56</sup> nam his certe quattuor locis quos explicauimus *φιλανθρωπία* pro *humanitate* substitui non potest. Probabilius uidetur *humanitatem* per se sine respectu alicuius uerbi Graeci ex adiectiuo *humanus* deriuatam esse, ut initio nihil aliud significet quam *hominem esse* - uelut *bonitas* idem ualet ac *bonum esse*, *deitas* (aut *diuinitas*) idem ac *deum esse*.

Huc faciunt etiam duo loci quibus *Auctor ad Herennium* quem dicunt misericordiam cum humanitate consociat. Is in statu concessionis defensori tribuit locos (2,16,24) „*de humanitate, misericordia*“, in statu deprecationis (2,17,26) „*de humanitate, fortuna, misericordia, rerum commutatione*“ - quae dolemus tam breuiter dici ut uix intellegantur. Sed *fortuna* magis cum *rerum commutatione* coniungenda uidetur, ut inde imbecillitas *humanitatis*, i.e. *humanae naturae*, inde etiam necessitas misericordiae intellegatur.<sup>57</sup>

<sup>52</sup> Non ipsa uirtus clementiae ut in locis qui specie tantum similes uidentur: Cic. Att. 13,2 (1) „*humanitatem omnem exuimus*“; Cic. Lig. 14 „[...] nonne omnem humanitatem exuisses?“ (aliter Ehlers; *ThL* VI,2, 3079, 55 et Kessler [1967] 57 qui Rosc. 154 subtiliter interpretatur: „Empfinden, Fühlen und Denken dessen, was die ‚humanitas‘ fordert“ [...] ‚Humanitas‘ ist also hier verstanden als soziale Tugend [...]). Nam *humanitatis* hic in *Rosciana* genetiuis obiectiuus est (cf. Hiltbrunner [1994] 727: „Gespür für Humanitas“), ut fere semper cum a uerbo *sensus* genetiuis pendet; cf. *Oxford Latin Dictionary* s.u. *sensus* 5 b et Carolum Fridericum a Naegelsbach / Iuanium Mueller, *Lateinische Stilistik*, Norimbergae<sup>9</sup> 1905 (it. Darmstadii 1967), 90 sq. Cf. etiam Verr. II 1,47 „[...] *nullus in te sensus humanitatis, nulla ratio umquam fuit religionis* [...]“.

<sup>53</sup> Ex parte uerum igitur uidetur quod Sloterdijk (1999) 18 scribit: *humanitatis* rationem (siue *humanismum*) semper eo spectare ut barbaries hominis refrenetur („Humanismus als Wort und Sache hat immer ein Wogegen, denn er ist das Engagement für die Zurückholung des Menschen aus der Barbarei“). Romanorum barbariem autem iniuria in unis gladiatoribus siue circensibus (!) ut *theatris crudelitatis* positam credit (p. 19): „Was die gebildeten Römer *humanitas* nannten, wäre undenkbar (!) ohne die Forderung nach Abstinenz von der Massenkultur in den Theatern der Grausamkeit.“ Haec et plura quae scribit ex una epistula morali sexta Senecae sumpta uidentur, ubi ille se ex aliquo spectaculo *crudeliorem et inhumaniorem* redisse fatetur (cum tamen ipsum substantiuum *humanitatis* desit). Quam parum solidum fundamentum tantae disputationis!

<sup>54</sup> Hic certe errauit optimus Pfeifferus (1931) 2 sq., cum originem *humanitatis* Romanae non in infirmitate humanae naturae („das Allzumenschliche oder Durchschnittsmenschliche“), sed in aliqua excellentia („das Ganz- und Vollmenschliche als [...] Norm [...] hohen Menschentums“) posuit.

<sup>55</sup> Errare mihi uidetur Ehlers (1934) 3079, qui omnes hos locos Ciceronianos ad „comitatem, benignitatem“ etc. trahit; cf. supra adn. 52.

<sup>56</sup> Hiltbrunner (1994) 724, secutus Ottonem Immisch et Maximilianum Muehl (1928) 64

<sup>57</sup> Bene Hiltbrunner (1994) 726: „was auf die stereotype Klage über die Abhängigkeit des Menschenschicksals von der Tyche u. den so begründeten Appell an das Erbarmen hinweist: *Humanitas* übersetzt [?] also *ἀνθρωπινά*.“

De *humanitatis* significatione metonymica (i.q. *misericordia* aut *urbanitas*)

Sed idem *Auctor* interdum *humanitatem* inter uirtutes numerare uidetur. Vt cum in locis misericordiae utile futurum censet (2,31,50): „*si de clementia, humanitate, misericordia nostra, qua in alios usi sumus, aperiemus*“. Hic iam fere nulla inter *humanitatem* et misericordiam siue mansuetudinem differentia uidetur. Item in loco contra proditores patriae (4,8,12): „*O feros animos! o crudeles cogitationes! o derelictos homines ab humanitate!*“ Cicero in Rosciana questus erat homines *sensum humanitatis* amisisse (u. supra); hic ab ipsa *humanitate* relinquuntur: ergo sine dubio hic quidem pro *humanitate* φιλανθρωπία poni potest. Nec tamen credo hic id uerbum Graecum Latino scriptori ob oculos uersari: cogitandum uidetur potius de aliqua metonymia, qua ei homini cui sensus *humanitatis* est, i.e. qui communem *humanitatem* sentit, ipsa *humanitas* quasi uirtus attribuitur.<sup>58</sup> Id quod paene manifestum est ex eo loco quo idem *Auctor* dicit (4,16,23) uiri fortis esse hostes „*qui uicti sunt*“ non iam pro hostibus habere, sed „*eos homines iudicare, ut possit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere*“.

Simile aliquid inuenimus etiam in duobus locis Ciceronis *Roscianae*, quos adhuc omisimus, quoniam ab eis quos antea tractauimus non parum diuersi sunt. Quorum primo (§ 121) Cicero queritur Chrysogonum inimicum secum habere seruos Sex. Rosci, ne ei in quaestionem dari possint, quam reus poposcerit. Ac primum per dissimulationem: „*Ita credo: litteris eorum et urbanitate Chrysogonus ducitur [...]*“, quos Cicero rusticos et „*paene operarios*“ dicit; deinde non ironice: „*Non ita est profecto, iudices; non est ueri simile ut Chrysogonus horum litteras adamarit aut humanitatem [...]*“. Hic enim *humanitas* non dubium est quin pro uirtute aliqua habeatur, quae uirtus tamen a misericordia aut clementia non nihil remota est. Estne haec igitur iam illa παιδεία de qua Gellius dixit, eruditio quae uenit e litteris, quibus adiuncta est?<sup>59</sup> Sic primo obtutu uideri possit; sed cum diligentius inspexeris, his *litteris* aut *humanitati* cognosces respondere in priore sententia *litteras* et *urbanitatem*, quae urbanitas certe cum eruditione aliquam cognationem habet, natura ipsa tamen aliquantum differt. Nec difficillimum est dictu, cur *urbanitas* etiam dici possit *humanitas* (ut in locis plurimis posterioribus). Nam qui urbanus,<sup>60</sup> is etiam comis est, moribus facilis, faceti sermonis, homo quicum libenter conuersari et uiuere uelis<sup>61</sup> - quae uirtus cum maxime propria hominis sit, a bestiarum natura remota, non immerito *humanitas* potest dici. Non parum tamen distat ab illa *humanitate* de qua antea diximus: haec certe nihil habet misericordiae aut clementiae, ut mirari possis a Cicerone in eadem oratione res tam diuersas appellari uno nomine. Sed tamen commune est utrique illa comitas morum qua homo homine propter cognationem quandam humanae naturae gaudet. Quod autem haec altera *humanitas* cum litteris coniungitur, id non tam fit quia aut ipsa (ut eruditio) in litteris ac disciplinis posita sit aut quia e litteris fluere soleat, quam quia eiusdem hominis est et urbanum esse et litteris gaudere.

Quantopere *humanitas* Ciceroni adolescenti distare uideatur ab eruditione cognoscimus ex alio loco *Roscianae* (§ 46). Hic Cicero accusatorem ludibrio habet: „*Si tibi fortuna non dedit ut patre certo nascere ex quo intellegere posses qui animus patrius in*

<sup>58</sup> Idem accidisse in Germanica uoce „Menschlichkeit“ uidetur; qua primum significabatur hominis natura, postea (inde a Kantio) uirtus misericordiae; cf. Grimm, *Deutsches Wörterbuch* vol. 12, 2087-2089 et Hermann Paul, *Deutsches Wörterbuch*, Tubingae (1897) <sup>5</sup>1966, 427.

<sup>59</sup> Sic Klingner (1947/1965) 745 adn. 72: „*humanitas* im Sinne literarischer Geistesbildung“; cf. Ehlers (1934) 3078,37.

<sup>60</sup> Haec uox *urbanus* (ut *urbanitas*) hac significatione (*Oxford Latin Dictionary* 4) ante Ciceronem inueniri non uidetur, qui eius nouitatem testatur in fam. 3,8,3 „*hominem non solum sapientem, sed etiam, ut nunc loquimur, urbanum*“.

<sup>61</sup> Eodem sensu Naeuius in *Quinctiana* (§ 11) „*neque parum facetus scurra [...] neque inhumanus praeco*“ fuisse dicitur.

*liberos esset, at natura certe dedit, ut humanitatis non parum haberes; eo accessit studium doctrinae, ut ne a litteris quidem alienus esses*“ (transit enim ad exemplum e comoedia sumptum). Hic *humanitas* fere idem est ac sensus ille communis humanitatis, qua quiuis homo, quid alter sentiat, sentire ipse possit (nos Germani dicimus „*menschliches Einfühlungsvermögen*“<sup>62</sup>); ea autem lucidissime diiuncta est a *studio doctrinae* et *litteris*, quippe quae *accessisse* ad illam humanitatem dicantur.<sup>63</sup> Vnde mihi manifestum uidetur omnes illos locos uetustissimos aliquo modo spectare ad φιλανθρωπία. Quorum maior pars cum misericordia coniuncta est; his duobus autem locis iam inesse uidetur quaedam uicinia aut ut ita dicam procliuitas ad bonas litteras, quae iuxta ponuntur, non tamen sic ut bonae artes comprehensae ipsae in *humanitate* uideantur.

De *humanitatis* significatione noua (i.q. *eruditio*) et de *studiis humanitatis*

Decem annis post in orationibus Verrinis (70 a. Chr.) uerborum uis paululum mutata est. Atque omitto locos plurimos quibus *humanitas* tamquam φιλανθρωπία pro omni genere clementiae, hospitalitatis, honestatis<sup>64</sup> dicitur. Nam de origine παιδείας quaerimus. Ergo duobus locis iterum uidemus iuxta poni *humanitatem* et *litteras*, sed nunc eum in modum ut paene idem ualeant. Vt cum Cicero irridet sensum pulchri in Verre qui sese existimatorem intelligentem operum arte factorum praedicet (II 4,98): „*Haec Scipio ille non intellegebat, homo doctissimus atque humanissimus; tu sine ulla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine litteris, intellegis et iudicas!*“ Hic omnia quae Cicero abiudicat Verri, *artem, ingenium, litteras*, ad παιδείαν spectare uidemus, cuius pars illa intelligentia est de qua Cicero dicit; sine dubio eo etiam *humanitas*, quam adiungit, pertinet, quae certe cum misericordia aut sensu humanitatis nihil iam commune habet. Cuius natura ex hoc loco etiam melius cognoscitur, ubi Cicero aduersarios suos nobiles cum dissimulatione cauillatur (II 3,8): „*Verrem amatis! ita credo: si non uirtute, non industria, non innocentia, non pudore, non pudicitia, at sermone, at humanitate eius delectamini.*“ Hic primum uirtutes ciuis Romani enumerantur, deinde, ut ita dicam, humaniora quaedam: *sermo, litterae, humanitas*. Ac *sermo* et *litterae* quomodo inter se cohaereant manifestum est: qui multis litteris imbutus est, ei sermo fit doctus et facetus. Huc bene facit *humanitas*, i.e. facultas uiuendi conuersandique cum aliis, quae et ipsa augetur studio litterarum. Scilicet litterarum qui studiosus est, iucundior est sodalis, gratior amicus, quoniam doctius iocatur, facetius loqui didicit. Vnde Cicero postea in libris *De oratore* ad laudem eloquentiae dicit (1,32): „[...] *quid esse potest in otio aut iucundius aut magis proprium humanitatis quam sermo facetus ac nulla in re rudis? Hoc enim uno praestamus uel maxime feris quod conloquimur inter nos et quod exprimere dicendo sensa possumus.*“<sup>65</sup> Ergo sermo facetus maxime ad humanitatem pertinet, praecipue proprius est humanae naturae. Qui quin magnam partem e litteris manet quis dubitet?

Iam uidemus igitur ex aliqua parte quomodo illae duae notiones φιλανθρωπίας et παιδείας ortae interque se commixtae sint. Atque initio *humanitas* non est illa quidem, si stricte interpretamur, eadem atque φιλανθρωπία, i.e. amor hominum et mansuetudo, sed magis communis natura humana, quam cum homo in altero esse sentit, a crudelitate auocatur, ad mansuetudinem misericordiamque commouetur. Postea per metonymiam quandam nomen

<sup>62</sup> Vt adiectiuum *humanus* in Plaut. Most. 814 („*esse existumo humani ingeni*“) de eo qui, cum alterius dolorem sentiat, dissimulet ea quae illi molesta sint („*einfühlbar, taktvoll*“).

<sup>63</sup> Recte Hiltbrunner (1994) 727 et iam Reiner (1949) 737.

<sup>64</sup> *clementia*: II 2,86; II 4,120 sq.; *hospitalitas* II 1,65; *honestas*: II 2,118; II 4,12; II 5,108; *miser cordia*: II 5,111.

<sup>65</sup> Hanc sententiam, quam Cicero iam in *Rhetoricis libris* (inv. 1,4) expresserat (ubi nihil de *humanitate* dicitur), ab Isocrate eum mutuatum esse constat; cf. or. 3 (Nicochl.) 5 sqq. = or. 15 (antid.) 253 sqq. Proprium Ciceronis uidetur quod facetias potissimum respicit.

*humanitatis* ipsam uirtutem declarat,<sup>66</sup> quae plerumque mansuetudo aut clementia est, interdum etiam urbanitas et facilitas morum.<sup>67</sup> Sed quia illa urbanitas litteris potissimum augeatur, ipsae quoque litterae vel artes, quibus παιδεία constat, *humanitatis* nomine dici possunt. Quod etiam ad adiectiuum extenditur. Nam, ut uidimus, Scipionem illum multis artibus eruditum etiam *humanissimum* dicit Cicero.<sup>68</sup> Sed id non ante *Verrinas* orationes inueniri potest.

*Tempora mutantur uerba et mutantur in illis!* Septem annis post illas *Verrinas*<sup>69</sup> ecce noua *humanitas*, quae omnem φιλανθρωπίας notionem abiecerit sitque iam paene mera παιδεία. Nam in oratione *pro Murena* habita (63 a.Chr.) Cicero primum dicit de *studiis humanitatis*, quo nomine studia philosophiae significat (§ 61): „*Et quoniam non est nobis haec oratio habenda aut in imperita multitudo aut in aliquo conuentu agrestium, audacius paulo de studiis humanitatis quae et mihi et uobis nota et iucunda sunt, disputabo.*“ Deinde Cicero placita Stoicorum exponit, quibus Catonem (in illa causa aduersarium) nimis deditum esse dicit. Et quamquam ea ad partem moralem philosophiae spectant, *studia humanitatis*, ut e uerborum contextu patet, uix eo hoc nomen accipiunt quod moribus et hominum mutuae beneuolentiae prosint, sed quod omnem eruditionem quae homine digna sit comprehendunt: non enim improbi, sed agrestes imperitique his studiis contrarii esse dicuntur.<sup>70</sup>

Similes autem sunt tres loci qui anno post in oratione *pro Archia* habita (62 a.Chr.) leguntur. Hic enim Cicero (§ 2) poeticam et rhetoricam inter „*artes quae ad humanitatem pertinent*“ numerat, quas „*quasi cognatione quadam inter se*“ contineri putat.<sup>71</sup> Quare postea iterum, ut in *Mureniana*, iudices rogat, ut sibi (§ 3) „*de studiis humanitatis ac litterarum* (id est de poesi et carminibus) *paulo loqui liberius*“ liceat. Et paulo post (§ 4) dicit Archiam, „*ut primum ex pueris excessit [...] atque ab eis artibus quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium*“, id est ad carmina fingenda, contulisse. Atque hic hoc nomine *studiorum* siue *artium humanitatis* potissimum grammatica et rhetorica dicuntur. Ergo si has duas orationes tempore inter se uicinas spectas,<sup>72</sup> *studiis humanitatis* iam fere ea contineri uides, quae, ut Paulus Kristeller docuit, postea renascentium litterarum tempore, hoc nomine dicebantur: philosophia moralis, grammatica, poetica, rhetorica.<sup>73</sup>

<sup>66</sup> Illa prior *humanitas* idem ualeat atque *hominem esse*, haec altera idem atque *humanum esse* (ut est *humanum* in Plaut. Merc. 319, cf. supra p. 7).

<sup>67</sup> Hanc partem *humanitatis* egregie descripsit Klingnerus (1947/1979); locos congegit Mayerus (1951) 235 sqq.

<sup>68</sup> Similiter ciues Syracusani „*homines periti et humani*“ (fere i.q. *callidi*) uocantur (II 5,71).

<sup>69</sup> In ceteris orationibus ante annum consularem habitis, *humanitas* semper ponitur pro *clementia*, *mansuetudine* (praesertim cum in oratione *de lege Manilia* habita Pompeius laudatur); semel cum *sapientia* coniungitur: Cluent. 95.

<sup>70</sup> Genetiuum *humanitatis* obiectiuum puto, ut dicantur ea *studia*, quibus perfectioni hominis (i.e. *humanitati*) studeatur; sic dici solet etiam *studium eloquentiae*, *iuris* etc. (cf. *Oxford Latin Dictionary* s.v. *studium* 7b). Item in ceteris locis, praesertim ex *Archiana* sumptis, *humanitas* idem ualere uidetur ac perfectio hominis; cf. praesertim quae de Demetrio Phalereo Cicero dicit, qui libros scripserit (fin. 5,54) „*non ad usum aliquem suum, quo erat orbatus, sed animi cultus erat ei quasi quidam humanitatis cibus*“: non ille cibus constitit ex *humanitate* (ut Gigon/Straume-Zimmermann in edit., 1988: „Nahrung, die ihm seine Bildung verschaffte“), sed *humanitatem* effecit („Nahrung für seine menschliche Vollendung“).

<sup>71</sup> Subest uidelicet doctrina Platonica, cf. Cic. de or. 3,21 et Hadot (1997) 25.

<sup>72</sup> Neque id casu factum puto, quod *humanitas* his annis potissimum totiens in Ciceronis orationibus appareat. Cum enim illi nimia seueritas atque adeo crudelitas in Catilinam eiusque socios obiecta esset - cf. etiam orationem *pro Sulla* habitam -, uoluit se quam mansuetissimum uideri etiam propter sua studia Graecarum litterarum. Quae antea potius dissimulauerat, nunc contra in aperta luce posuit et Romanissimo nomine *humanitatis* signauit. Quod nomen in *Archiana* paene inculcatur audientium auribus. Cf. etiam ep. Q.fr. 1,1 (u. infra)

<sup>73</sup> Kristeller (1945/1974) 102 sq. cum adn. 60: accessit etiam historia. Hunc quasi cyclum disciplinarum non ab initio firme constitutum et finitum fuisse demonstrauit Kohl (1992).

Neque *humanitas*<sup>74</sup> his terminis inclusa se tenuit, quin latius uagaretur. Nam Cicero (siue Crassus) in libris *De oratore* scriptis (3,58) praeter grammaticam siue poeticam etiam geometriam musicam dialecticam adnumerat eis „*artibus quae repertae sunt ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur et uirtutem*“, ut iam quasi triuuium et quadriuium illud mediaeuale diuinando adumbrare uideatur. Et in primo *De re publica* libro (1,28) Scipio astrologiam et geometriam potissimum respicit, cum dicit multos appellari quidem „homines“, „*homines esse solos eos qui essent politi propriis humanitatis artibus*“.<sup>75</sup> Ergo iam quasi omnes artes liberales quas uocamus<sup>76</sup> hoc nomine comprehenduntur.<sup>77</sup>

De duplici significatione *humanitatis*

Videtis igitur quomodo *humanitatis* uocabulum sensim ita mutatum sit, ut denique ipsam educationem siue eruditionem homine dignam<sup>78</sup> notauerit. Nec tamen uetus illa notio *humanitatis*, quae in beneuolentia ac mansuetudine posita erat, umquam periit: uiget ac ualet semper etiam in Ciceronis scriptis, quod sescenti loci declarant. Nec Ciceronem ipsum duplex usus huius uerbi fugit, de quo semel etiam paene apertis uerbis dicere uidetur. Legite ea quae a. 60 a. Chr. ad Quintum fratrem scribit, cui tum Asia prouincia administranda erat (1,1,27): „*Quodsi te sors Afris aut Hispanis aut Gallis praefecisset, immanibus ac barbaris nationibus, tamen esset humanitatis tuae consulere eorum commodis et utilitati salutique seruire; cum uero ei generi hominum praesimus, non modo in quo ipsa <nata><sup>79</sup> sit, sed etiam a quo ad alios peruenisse putetur humanitas, certe iis eam potissimum tribuere debemus a quibus accepimus.*“<sup>80</sup> Hic *humanitatem* primum dicit *φιλανθρωπίαν* eam quae cunctis hominibus debeatur; deinde autem, cum Graecos ut inuentores et propagatores *humanitatis* praedicat, sine dubio ad *παιδείαν* spectat,<sup>81</sup> quod planissime confirmatur, cum continuo de se scribit: „*Non enim me hoc iam dicere pudebit [...] nos ea quae consecuti sumus iis studiis et artibus esse adeptos quae sint nobis Graeciae monumentis disciplinisque tradita.*“ Ergo cum Cicero has duas res, quae tam diuersae uidentur, quasi uno spiritu eodem nomine *humanitatis* appellet, uix dubitaueris, quin educationem illam, quam e Graecorum litteris fluere dicat, fontem etiam mansuetudinis et beneuolentiae erga homines crediderit.<sup>82</sup> Sed hic locus singularis est.<sup>83</sup>

<sup>74</sup> Plures locos Ciceronianos ubi *humanitas* adiungitur doctrinae aut artibus apud Mayerum (1951) 222 sqq. inuenies; notissimus est Tusc. 5,66 [...] *qui modo cum Musis, id est cum humanitate et cum doctrina, habeat aliquod commercium* (ubi de mathematica potissimum dici uidetur).

<sup>75</sup> Perperam Ehlers (*ThLL* VI,2, 3077,83) *humanitatem* hic idem ualere censet ac *honestatem*.

<sup>76</sup> Caue tamen credas hinc orbem illum septem artium liberalium ortum esse; de cuius origine disputat Hadot (1997), 25; 28-32.

<sup>77</sup> Saepissime autem *humanitas* sic adiungitur *doctrinae* aut *litteris*, ut eam ad certas artes referre non possis.

<sup>78</sup> Plura exempla Ciceroniana inuenies apud Ehlers (1934) 3078,32 sqq.: „fere i.q. eruditio, doctrina, urbanitas“; cf. Heinemann (1931) 301 et praesertim Mayer (1951), 204-231, qui ea omnia iam „Scipionibus“ („Scipionenkreis“) ascribit. Ceterum recte (209): „[...] wird die Bedeutung dieser intellektuell-aesthetischen Seite der *humanitas* für Cicero gewöhnlich überschätzt“.

<sup>79</sup> Meo Marte addidi.

<sup>80</sup> Ciceronem imitatur Plinius, epist. 8,24,2: „*Cogita te missum in [...] illam ueram et meram Graeciam, in qua primum humanitas, litterae, etiam fruges inuentae esse creduntur [...] ad homines maxime homines [...]*“.

<sup>81</sup> Recte Haffter (1956) 303: „Es fließen in den Brief die philanthropische und die geistige Humanitas in eins zusammen“; cf. Haffter (1954/67) 482. Nec tamen uideo, cur *humanitatem* Ciceronianam putet „ein ersehntes und ideales menschliches Dasein, das seine volle Verwirklichung in der Realität des bürgerlich-staatlichen Alltags nicht finden kann“ (1954/67).

<sup>82</sup> Sic etiam Christes (1998) 64, qui F. Kuehnert laudat.

<sup>83</sup> Similia certe uidentur quae Cicero siue Scipio in *rep.* 1,29 de Platone narrat, qui cum e mari in ignotum litus delatus ibi „*in arena geometricas formas quasdam esse descriptas*“ uidisset, socios timentes hortatus sit, „*ut bono essent animo: uidere enim se hominum uestigia*“ (antecessit ipsa uox *humanitatis*). Sed haec non necesse

Non inepte igitur Herderus quique eum secuti sunt eam existimauerunt causam cur Romani *humanitatis* nomine etiam studia litterarum Graecarum nuncupauissent: nempe quod sese ex illis studiis non solum doctiores, sed etiam mitiores clementioresque fieri credidissent. Quod tamen, si ipsam originem uocis spectas, uerissimum non est. Vrbanitas erat, non clementia, quam litteris augeri Cicero primum sensit; inde ab hoc initio postea *humanitas* quasi genus totum litterarum ac doctrinae occupauit, ut omnes artes liberae *studia humanitatis* dici possent. Tum demum Cicero in epistula quam legimus Graecos tamquam inuentores etiam beneuolentiae et mansuetudinis celebrare potuit.

Quodsi, ut summatim dicamus, in *humanitate* prius fuit mansuetudo uel natura humana, quae ad mansuetudinem uocat, postea accessit eruditio uel educatio, prior illa notio in usu sermonis Romanorum semper tantum praeualuit, ut haec altera paene uni Ciceroni reseruata uideatur. Quod iam Gulielmus Ehlers in *Thesaurus linguae Latinae* notauit, ubi sub hoc nomine eruditionis praeter Ciceronem tantum paucissimos locos e Varrone, Nepote, Livio, Plinio, Ammiano, Arnobio laudat.<sup>84</sup> Nisi huc etiam eos locos trahere uelimus quibus *humanitatis* uoce significatur, ut dicit Ehlers, „condicio ultra uitam barbaram prouecta“ (Germanice „Zivilisation“);<sup>85</sup> cuius primum exemplum iterum Ciceronis Verrinae praebent (II 5,187), ubi a Cerere et Libera „*initia uitae atque uictus morum legum mansuetudinis humanitatis hominibus et ciuitatibus data ac dispertita esse dicuntur*“. Sed multo notius est quod Caesar in Bello Gallico (1,1,3) Belgas dicit fortissimos, „*propterea quod a cultu atque humanitate prouinciae longissime absunt*“. Atque hic uix dubitari potest, quin haec *humanitatis* notio ad mansuetudinem morum potius quam ad elegantiores cultum animi referenda sit.<sup>86</sup> Sunt tamen quidam loci persimiles in quibus credideris iam παιδείαν quasi irrepsisse, ut cum Cicero *pro Flacco* dicit (§ 62): „*Adsunt Athenienses, unde humanitas,*<sup>87</sup> *doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae [...] putantur*“. <sup>88</sup> Neque mirum est has duas notiones, cum semel natae sint, uariis modis inter se coisse mixtasque esse. Cuius rei unum locum nobilissimum afferro, quia ad linguam Latinam tamquam ad *humanitatis* fontem pertinet. Gloriatur Plinius in *Naturali historia* (3,39) Italiam patriam suam „*numine deum*“ electam esse, „*quae [...] sparsa congregaret imperia ritusque molliret et tot populorum discordes ferasque linguas sermonis (scilicet Latini) commercio contraheret ad conloquia et humanitatem homini daret [...]*“. Quae est igitur haec *humanitas*, ad quam populi sermone Latino erudiuntur? Certe primum hic dicitur gentium quaedam concordia quae e communione linguae nascitur,<sup>89</sup> respicitur etiam uitae cultus et mansuetudo qua immanes ferique homines molliuntur, denique est fortasse aliqua lenis significatio etiam doctrinae et artium, quae plurimae tum temporis Latino sermone illustratae erant. Sed utcumque hoc est, id profecto Plinius asseuerat: sine lingua Latina homines non esse homines! Quod si quis his nostris temporibus profiteri ausit, uereor ne in aliquem insanorum detrudatur carcerem.

Quid inde a renascentium litterarum aetate uiri docti de *humanitate* senserint

---

est sic interpretari tamquam geometria siue doctrina per se mores feros mitiget (cf. Klingnerum [1947/1965] 723): potius Plato eorundem hominum esse putauit et mathematicam et probitatem colere.

<sup>84</sup> Ehlers (1934) 3078,33: „[...] legitur raro praeter Cic(eronem), paene deest aevo imperatorio“. Cf. etiam Heinemann (1931) 305-310; Haffter (1956) 299; Rieks (1967) passim.

<sup>85</sup> Ehlers (1934) 3077,37 sqq. ; post Ciceronem laudat Vitruuium, Plinium, Tacitum, nonnullos Christianos.

<sup>86</sup> Aliter tamen Fr. Kraner/W. Dittenberger/H. Meusel in commentario, vol. 1, Berolini <sup>17</sup>1913 ad l.: „der äußerlich verfeinerten (*cultu*) und geistig gebildeten (*humanitate*) provincia“. Sed cf. etiam ceteros (quattuor) locos quibus Caesar *humanitatis* uerbo utitur (H. Merguet, *Lex. Schr. Caes.*, 1886).

<sup>87</sup> Vbi non solum de frugibus litteris artibusque, sed etiam de mysteriis cogitandum est; cf. enim Cic. leg. 2,36.

<sup>88</sup> Similiter Plinius loco supra (adn. 80) allato *humanitati* adiungit *litteras* et *fruges*.

<sup>89</sup> Obscurius Buchheit (1981) 207: „das enge Miteinander im Geben und Nehmen“: sed hic de lingua Latina agitur.

At iam satis superque de illa *humanitate* antiqua diximus. Iam ad *humanismum* recentem ueniamus necesse est - quo tamen lentius festinabimus. Ac primum quidem non ignoratis illa aetate renascentium litterarum<sup>90</sup> quae uocatur, renata esse potissimum *studia humanitatis*,<sup>91</sup> de quibus Cicero dixerat, eaque una cum litteris reuixisse. At Petrarca tamen, quem nunc omnes *patrem humanismi* uociferantur, eis uerbis non utebatur, qui potius de *liberalium et honestarum artium studiis* dicebat.<sup>92</sup> Cuius tamen post obitum Leonardus Brunus notissimo loco (a. 1401) Petrarcam eum fuisse uirum dicit, qui „*studia humanitatis, quae iam extincta erant, repararit*“,<sup>93</sup> quo dicere uoluit eum tamquam nouum Ciceronem cum philosophiae morali tum eloquentiae operam dedisse. Eodem fere tempore saepissime hac uerborum iunctura usus est Coluccius Salutatus;<sup>94</sup> post illum omnes fere qui Petrarcam Boccaccium Salutatum sequebantur *studia humanitatis* sese profiteri clamabant.<sup>95</sup> Vnde factum est, ut haec uerba tum signum et quasi tessera fierent noui generis educationis (quod nos Germanice uocamus „Bildungsprogramm“) - quod a Ciceronis usu non nihil distat. Immerito enim nunc quidam iam Ciceronem poposcisse credunt, ut pueri Romani non solum ad uirtutes traditas, sed etiam ad nouam aliquam *humanitatem* conformarentur.<sup>96</sup> Sed is de *humanitate* dixerat tamquam de re antiquitus probata; aetate renascentium litterarum autem *humanitas* ut recens repertum opponebatur ueteri eruditioni scholasticae.

Ac saeculo quinto decimo medio *humanitas* Italorum Alpibus superatis etiam in Germaniam nostram uenit. Iam anno 1456 Petrus Luder quidam in Vniuersitate Heidelbergensi praelegere coepit de *studiis humanitatis*, id est de poetis oratoribus historicis antiquis.<sup>97</sup> Inde ab eo tempore fere in Italia ei qui in uniuersitatibus *studia humanitatis* profitebantur uocabantur nouo nomine *humanistarum* (quod uerbum e sermone studiosae iuuentutis ortum uidetur, formatum ad exemplum *legistarum iuristarum* aliorumque, ut Paulus Kristeller suspicatus est<sup>98</sup>). Id nomen etiam Germani arripuerunt, unde in *Epistulis obscurorum uirorum* (a. 1515) Petrus Hafenmusius, magister barbarus, barbaramente conqueritur: „*et isti humanistae nunc uexant me cum suo nouo (!) latino*“<sup>99</sup> (nouum Latinum scilicet est Latinitas ipsa, a uiris obscuris dudum turpiter neglecta).

Atque eo tempore *studia humanitatis* fere semper ad grammaticam rhetoricam poeticam spectabant, saepe etiam ad philosophiam moralem et historiam. De sensu autem illius uocis *humanitatis* diligentius primus uidetur cogitauisse Philippus Melancthon „praceptor Germaniae“ qui iure nunc quoque dicitur. Is in *Eloquentiae encomio*, quo a. 1523

<sup>90</sup> Medio aeuo quae fuerint fata uocis *humanitatis*, nemo adhuc, quantum scio, inuestigauit; cf. tamen Pfeiffer (1931) 4.

<sup>91</sup> Fata horum uerborum mira diligentia descripsit Kohl (1992).

<sup>92</sup> Karlheinz Stierle: *Francesco Petrarca: ein Intellektueller im Europa des 14. Jahrhunderts*, Monachii/Vindobonae 2003, 110 sq.; cf. Pfeiffer (1976/1982) 30 sq.

<sup>93</sup> L.B., *Dialogi ad Petrum Paulum Histrum*, ed. St.U. Baldassarri, Florentiae 1994, 271 sq.; cf. Kohl (1992) 192 sq.

<sup>94</sup> Primum iam a. 1369, u. Kohl (1992) 188-192. Cf. Pfeiffer (1976/1982) 32 sq.; Buck (1987) 155; Charlet (2006) 30. Copiosissime de Salutato agit Kesslerus (1967), qui initium sumit ab epistula XII 18, in qua Salutatus aperte de duplici sensu *humanitatis* („*uirtutis atque doctrinae*“) dicit (p. 44-66). Etiam magis utilia sunt quae de uirorum doctorum sententiis de „humanismo“ illius temporis prolatis refert (pp. 9-43: „Die bisherigen Deutungen des Humanismus“).

<sup>95</sup> Buck (1987) 154 sqq.; Kohl (1992); Charlet (2006) 30-32

<sup>96</sup> Buck (1987) 18 sqq., 154 sq., cf. praecipue p. 18: „Der „homo humanus“ tritt gleichberechtigt neben den „homo nobilis“; Schadewaldt (1973) 61: „Bildungsprogramm der *humanitas*“; Walter Rüegg, „Prolegomena zu einer Theorie der humanistischen Bildung“, *Gymnasium* 92, 1985, 306-328, imprimis p. 308 sq.: „Begriff der *humanitas* als Bildungsprogramm“.

<sup>97</sup> Cf. Rudolf Kettmann: „Peter Luder (um 1415-1472). Die Anfänge der humanistischen Studien in Deutschland“, in: Paul Gerhardt Schmidt (ed.), *Humanismus im deutschen Südwesten*, Stutgardiae (1993) 2000, 13-34, ibi p. 14.

<sup>98</sup> Kristeller (1955/1974) 17; recentiorum inuenta et opiniones recenset Charlet (2006) 33-35.

<sup>99</sup> 1,7 (Aloys Bömer [ed.], *Epistulae obscurorum uirorum*, Heidelbergae 1924 [it. 1978], vol. 2, 17); plura apud Charlet (2006) 33 adn. 14

in uniuersitate Vittenbergensi ad studia rhetorica hortabatur - quam declamationem etiam a Luthero studiose lectam esse puto<sup>100</sup> - , originem uocis *humanitatis* primus, quantum scio, explanare conatus est:<sup>101</sup> „*Quid in consilio fuisse censeatis ueteribus Latinis, cur dicendi artes humanitatem appellarint? Iudicabant illi nimirum harum disciplinarum studio non linguam tantum expoliri, sed et feritatem barbariemque ingeniorum corrigi.*“ Quod propter duas causas fieri docet, quarum prior est, „*quod qui iis artibus operam dant, ad eiusmodi scriptorum exempla se comparent necesse est, qui in maximis rebus gerendis ac tractandis uersati summam prudentiam usu consecuti sunt*“ (quod multis exemplis ex Homero sumptis disertissime comprobatur), altera autem, „*quod bene dicendi cura per se uegetiorem animum reddit, ut quid in quaque re maxime conueniat aut prosit rectius perspiciat*“. Ergo eloquentiae studium, quae etiam *humanitas* uocatur, et propter sapientiam scriptorum quos imitandos tibi proposueris et propter ipsam curam uerborum etiam moribus prodesse existimat.<sup>102</sup>

Idne Melanchthon primus uidit aut credidit? Minime, si sententiam ipsam spectamus. Eam enim iam quodammodo a Platone philosopho repetere licet, qui animos moresque pueriles arte musica expoliri putauit<sup>103</sup> - sed multo apertius illam Melanchthonis sententiam Platonis aemulus, Isocrates rhetor, non semel professus est: Qui e cura bene dicendi (εὖ λέγειν) etiam facultatem bene sentiendi (εὖ φρονεῖν) quasi sua sponte oriri uoluit, quare exercitatio rhetorica non magis ad linguam acuendam quam ad mores emendandos ualeret.<sup>104</sup> Sed quamquam Melanchthonem Isocratis quoque peritissimum fuisse constat,<sup>105</sup> non equidem dubito quin hoc loco ei ob oculos magis uersatum sit distichon Ouidianum, quo postea plurimi ad commendandas bonas artes usi sunt. Nam in *Epistula* quadam *ex Ponto* ad Cotyn regem et poetam Thracium scripta legitur (2,9,47 sq.):

*Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes  
emollit mores nec sinit esse feros.*<sup>106</sup>

Vbi artes intellegit poeticam et rhetoricam, quibus eloquentia communis est.<sup>107</sup> Nam ad unam poeticam spectant uersus quos Sappho poetriae tribuit, quae *mollitiem cordis* sui aut legi

<sup>100</sup> Cf. Stroh (2007) 199-201

<sup>101</sup> Karl Hartfelder (ed.), *Philippus Melanchthon: Declamationes*, Berolini 1891, 34; 39

<sup>102</sup> In simili sententia nuper Sloterdijk (1999) uerissimam *humanitatis* rationem detegere sibi uisus est: libris legendis fieri ut animi mollescant: „Das latente Thema des Humanismus ist also die Entwilderung [!] des Menschen, und seine latente These lautet: Richtige Lektüre macht zahm.“ Cf. quae Gronouius philologorum maximus ad Nicolaum Heinsium scripsit: „Ego a prima aetate in lectione ueterum id potissimum habui, ut mei mores emendarentur, non ut apices et puncta librorum“ (laud. sec. Wolf, 1807, 48 adn.). Similiter iam qui tempore renascentium litterarum pueros ad humanitatem conformabant, ut Guarinus Veronensis: „*Hi sunt litterarum fructus [...] ut non solum eruditus, sed etiam bonus euadas adolescens*“ (Kessler [1967] 209, ubi plura laudantur).

<sup>103</sup> republ. 3, 411 C sqq.; cf. iam Protagoram in Plat. Prot. 326 A sq.- In lib. VI *Legum* (766 A) hominem animal omnium diuinissimum et mitissimum fieri dicit, si ad naturam felicem educatio (παιδεία) recta accesserit, alioquin omnium quae terra protulerit saeuissimum. Cf. Buchheitium (1981) 191-193, qui locos aliquatenus similes de philosophia animos mitigante e Platone, Isocrate, Cicerone, Horatio congressit.

<sup>104</sup> Praesertim in oratione *de antidosi* (or. 15) 231; 275 sqq.; cf. *in soph.* (or. 13) 21. Optime de his rebus Wolf Steidle, „Redekunst und Bildung bei Isokrates“, *Hermes* 80, 1952, 257-296, ibi 272 sqq.

<sup>105</sup> Praelegit etiam de oratione Isocratis de antidosi, in qua ille has suas de eloquentia sententias explicat; u. Karl Hartfelder, *Philipp Melanchthon als Praeceptor Germaniae*, Berolini 1889 (repr. 1974 et saepius), 371 sq., 560.

<sup>106</sup> Locum celeberrimum postea etiam a Francisco Bacon, Dauidio Hume, Christiano F. Gellert, Friderico Schiller, Thoma Quincey laudatum inueni. Versus Ouidianos non ueros esse in multis, „*qui Musis initiati sunt*“, quod „*per bonas artes [...] nihil sit correcta rustica morum inciuitas*“ eorum, queritur Fridericus Dedekind, *Grobianus: De morum simplicitate* (1549), ed. Aloys Bömer, Berolini 1903, p. 4.

<sup>107</sup> Similiter Pont. 1,6,7sq. (ad Graecinum poetam) *Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est, / pectora mollescunt asperitasque fugit*. Cf. ad I. Martinum Helzle, *Ovids Epistulae ex Ponto, Buch I-II, Kommentar*, Heidelbergae 2003, p. 180, cui non plane adsentior cum dicit: „Der klassische Hymnus auf die zivilisierende Macht der Literatur steht in Ciceros Rede für Archias.“ Nam Cicero ibi litteras eam ob causam potissimum



cuidam Parcarum aut ipsi studio carminum ascribit (epist. Sapph. 83 sq.):

[...] *siue abeunt studia in mores artisque magistra  
ingenium nobis molle Thalia facit.*

Vnde etiam natum est usitatum adagium: *Studia abeunt in mores.*<sup>108</sup> Item Ovidius in *Arte amatoria*, ubi non sine ironia quadam propter hanc ipsam causam poetas ut amatores utilissimos puellis commendat (ars 3,545 sq.):

*Scilicet ingenium placida mollitur ab arte  
et studio mores conuenienter eunt.*

Hanc sententiam similesque huic gnomas etiam apud Plutarchum aliosque scriptores non semel inuenimus. Vt cum ille dicit (Coriol. 1,4): „Nullum donum tantum homines a Musarum beneuolentia cum fructu accipiunt, quam quod ratione et educatione natura mansuescit, quae propter rationem moderationem accipit et quod nimium est abicit.“<sup>109</sup> Idem de studiis eloquentiae Theo Aristidesque rhetores Graeci praedicant: et bonos mores et omnes uirtutes Platonicas una rhetorica contineri.<sup>110</sup> Quos locos enumerare longum est,<sup>111</sup> qui id commune habent, quod multum ad humanitatem ipsam, ad uocem *humanitatis* nihil pertinent. Nemo enim eorum, quantum equidem scio, qui ante Melanchthonem scripserunt,<sup>112</sup> hanc Isocrateam siue Ouidianam sententiam, qua cura uerborum seu eloquentiae in mores abire dicitur, cum uerbo *humanitatis* coniunxit. Id ne Cicero quidem fecit, quamquam prope accessisse ad hanc sententiam uidetur, cum in epistula ad Quintum, ut meministis (p. 13), Graecos tamquam inuentores *humanitatis* duplici huius uocis intellectu laudauit: Nusquam ille, nisi fallor, aut studia eloquentiae moribus prodesse dixit<sup>113</sup> aut id ipsum ad uocem *humanitatis* rettulit.<sup>114</sup> Hac in re igitur Melanchthon maximus erat nouator, qui illis *studiis humanitatis* quasi nouum fundamentum supposuit.

Atque hunc uirum Lutheranum Iacobus Pontanus e Societate Iesu secutus est, praeceptor egregius Germaniae catholicae, qui in *Ethicis Ouidianis* (1617)<sup>115</sup> illos Ouidii uersus *ex Arte amatoria* aliosque cum attulit, haec dicit: „*Hinc studia nostra* (sc. ad eloquentiam pertinentia) *Humaniora dicuntur, non solum quia mitibus, & humanis ingeniis apta sunt: uerum etiam quia humanitatem ingenerant* [...]“. Qui tamen non Melanchthonem

laudat, quod et honestatis et gloriae amorem incendiant, non quod per se mores molliant. Paulo similia sunt quae Horatius de uetustis uatibus, qui animos hominum ferorum mitigauerint, dicit (ars 391 sqq.).

<sup>108</sup> Quod multae scholae et uniuersitates suis signis, sigillis, uexillis inscripserunt.

<sup>109</sup> Οὐδέν γὰρ ἄλλο Μουσῶν εὐμενείας ἀπολαύουσιν ἄνθρωποι τοσοῦτον, ὅσον ἐξημεροῦσθαι τὴν φύσιν ὑπὸ λόγου καὶ παιδείας [cf. Plut. Mar. 46] τῷ λόγῳ δεξαμένην τὸ μέτριον καὶ τὸ ἄγαν ἀποβαλοῦσαν. - Simile aliquid in Lacedaemoniis iussu Lycurgi effecisse dicitur Thales lyricus, qui modis suis animos agrestes lenierit et legibus Lycurgi quasi praeparauerit (Plut. Lyc. 4,2 sq.; cf. etiam Plut. Num. 23,9). Marius contra Plutarchus, quia nec Graecas litteras discere aut Gratiis Musisque sacra facere uoluisset, nimis ferum et iracundum fuisse dicit (Mar. 2). Ex parte tantum simile est quod Polybius Prusiam regem ideo parum regiis fuisse moribus scribit, quod educationis et philosophiae et inde nascentium doctrinarum experts fuisset (36,15); similia sunt quae de mansuetudine morum e musicis artibus nata dicit (4,20 sq); cf. Buchheitium (1981) 191 (non huc pertinere puto quae Buchheitius 190 e Vergilio affert).

<sup>110</sup> Locos collegit Erwin Rohde, *Der griechische Roman und seine Vorläufer*, Lipsiae 1914, 319.

<sup>111</sup> Plutarchi uerba Wolfius (1807) 116 uocat „eine von den hundert (!) Stellen, worin die Alten die Wirkung ihrer Musen und ihrer Künste beschreiben“. Cf. Buchheitium (1981), praecipue 189 sqq.

<sup>112</sup> Cf. praesertim notissimum dictum Erasmi (non sine ironia, quam non omnes intellegunt): „*Bonae litterae reddunt homines, Philosophia plusquam homines, Theologia reddit diuos*“ (*Querela Pacis*, in: *Ausgewählte Schriften*, ed. Werner Welzig, vol. 5, Darmstadii 1990, 372).

<sup>113</sup> Aliud est quod *pro Caelio* (§ 45 sq.) neminem qui uoluptatibus uitiiisque impeditus esset ad eloquentiae laudem aspirare posse asseuerauit.

<sup>114</sup> De geometria cf. etiam supra adn. 83.

<sup>115</sup> *Ethica Ouidiana* I c. 8, Ingolstadii 1617, p. 23

haereticum laudat, sed Hieronymum Osorium quendam, qui *De gloria* (1552) similia scripsit. Maioris autem momenti fuit Herderi sententia; qui et in illis *Epistulis* suis, de quibus dixi, et iam antea in duabus declamationibus *De notione litterarum cultiorum* („schöne Wissenschaften“)<sup>116</sup> id proprium *humanitatis* siue *litterarum humaniorum* esse dixit, quod ex eloquentiae studio siue cura linguae, qua homo a bestiis differret, ille sensus *humanitatis* („Sinn der Menschheit“) oreretur, quo fieret ut cum hominibus uersari eisque prodesse possemus;<sup>117</sup> eamque ipsam ob causam Graecis Romanisque scriptoribus maximam operam dandam esse quod ei eloquentiam tanto studio coluissent quanto non quisquam antea aut postea.<sup>118</sup>

De *humanismi* inuentione et propagatione

Verum hic in *humanitate* tantum semper uersatus est: *humanismi* autem, ut ad eum tandem ueniamus, inuentor siue pater fuit Fridericus Immanuel Niethammer,<sup>119</sup> Schilleri Hegeliique amicus. Is a. 1808, cum in Ministerio rerum interiorum Bauariae consiliarius esset, librum edidit hoc titulo *Quomodo philanthropinismus et humanismus hoc tempore de ratione educandi dissentiant*.<sup>120</sup> (Erat autem *philanthropinismus*<sup>121</sup> noua ratio educationis a Basedouio inuenta; quare eam Niethammerus recentem rationem, *humanismum* ueterem appellat). Hic liber satis languide, ut aperte fatear, scriptus defensionem studiorum humaniorum, quae scriptoribus antiquis nituntur, continet. Quod eo magis necessarium erat, quod extra scholas tum iam pauci Latine, nedum Graece, scribebant aut loquebantur. Illud autem propositum Niethammerus non in fronte profitetur, sed primum paene dissimulat, cum adulescentes ita dicit educandos ut „uniuersa hominis natura formetur“ („allgemeine Bildung des Menschen“), quod maxime fiat, cum mens ipsa per se exerceatur („Bildung des Geistes an und für sich“).<sup>122</sup> Contra philanthropinisticam rationem in eo positam existimat, ut pueri ad illa negotia, quae

<sup>116</sup> *Vom Begriff der schönen Wissenschaften insonderheit für die Jugend* (1782), in: *Sämmtliche Werke: Zur Philosophie und Geschichte*, vol. 10 (*Sophon: Gesammelte Schulreden*), Stutgardiae / Tubingae 1828, 45-59; *Vom ächten Begriff der schönen Wissenschaften und von ihrem Umfang unter den Schulstudien* (1788), l. 1. 99-112. „Schöne Wissenschaften“ Herderus idem esse uult ac *litteras humaniores* uel *studia humanitatis* (p. 101, cf. p. 52).

<sup>117</sup> l.l. p. 102-104 „Alles also, was von Kindheit auf unsere Sprache ausbildet, was uns vernünftig, genau und bestimmt, was uns angenehm, leicht überzeugend und herzbewegend sprechen lehrt, bildet in uns den Sinn der Menschheit [ut in Cic. S. Rosc. 154 *sensum omnem humanitatis* - „Menschheit“ hic quoque est *humana natura*, cf. Grimm, *Deutsches Wörterbuch* 12, 2077-2080] und das edelste Werkzeug aus, mit andern Menschen zusammen zu leben und für sie zu wirken. [Ubi latere uides tria illa officia oratoris a Cicerone in *Oratore* definita, sc. docendi, delectandi, commouendi.] Hierin haben es nun die Griechen und Römer vielleicht allen andern Nationen der Welt zuvor gethan [...]. Also stehen diese Altväter der menschlichen Geistesbildung, als ewige Muster [...] der schönsten Fertigkeit im Gebrauch der Sprache vor uns; [...] nach ihnen müssen wir, Menschen nützlich zu werden, unsere Vernunft und Sprache bilden.“ Praesertim ei qui ipse Latine scribat *sensum humanitatis* („Sinn der Humanität“) reclusum affirmat.

<sup>118</sup> A qua sententia non plurimum discrepauit Gulielmus ab Humboldt, qui „philologiam“, i.e. litterarum Graecarum Latinarumque studium, eam esse dixit, quae „hominem maxime ad pulcherrimam nobilissimamque *humanitatem* educaret“ („Philologie [...] die große Erzieherin des Menschen zu der schönsten und edelsten Humanität“; *Über die Verschiedenheiten des menschlichen Sprachbaues* [1827-1829], in: Andreas Flitner / Klaus Giel [ed.], W.v. Humboldt, *Werke in 5 Bänden*, vol. 3, Darmstadii 1963, iter. 1972, p. 167), ubi tamen magis „doctrina et artes“ („Wissenschaft und Kunst“) quam mores respiciuntur.

<sup>119</sup> Nam quod Francogallus quidam a. 1765 semel ausus erat „humanisme“ dicere (Charlet 2006, 35), paucis innotuit.- *Humanismum* in Germania a. 1784 antecesserat „humanistisch“ (Rüegg 1946/1973, 173), quod etiam apud Wolfium (1807) legitur.

<sup>120</sup> Niethammer 1808 /1968.

<sup>121</sup> Usitato more appellatur *philanthropismus* (quod uerbum paulo Graecius uidetur): *philanthropinismus* deriuatus est a nomine scholae „Philanthropin“, quam Ioannes Bernhardus Basedow, ut optima educationis exemplum esset, a. 1774 Dessauiae instituerat; eam enim uoluit esse „scholam philanthropiae“ („Schule der Menschenfreundschaft“, cf. Theobald Ziegler, *Geschichte der Pädagogik* [...], München<sup>4</sup> 1914, 235-246).

<sup>122</sup> Niethammer (1968) 162 sq.

postea exercere debeant, aptis artibus instruantur. Illam atem *humanismi* uiam etiam „conformationem humanitatis uel hominis educationem“ uocat („Bildung der Humanität, die eigentliche Menschenbildung“<sup>123</sup>), quam sine uetustate Graeca et Romana, quae unica exempla ueri boni pulchrique habeat, fieri posse negat.<sup>124</sup> Eam uiam naturae hominis rationali conuenire, cum philanthropinismus magis naturae aptus sit bestiali.<sup>125</sup>

Quid igitur? Estne hic nouus *humanismus* Theodiscus, qui se tamen ueterem esse uult, idem atque studia illa *humanitatis*, de quibus Cicero primus cogitauit, quae Petrarca reparauisse dicitur?<sup>126</sup> Nullae sunt certe in hoc Niethammeriano partes urbanitatis aut facetiarum, paruae φιλανθρωπίας siue clementiae.<sup>127</sup> Nulla autem re magis hic nouus *humanismus* a priscis illis *studiis humanitatis* distat quam quod sermonis et eloquentiae cura paene ad nihil redacta est. At quantum illi Cicero, Petrarca, Melanchthon, Herderus quoque tribuerunt! Magis Platonem aliquem mathematicum quam Isocratem aut Ciceronem rhetoricos haec noua Niethammeri spirat doctrina,<sup>128</sup> cui etiam ex Humboldtio non nihil admixtum uidetur. Nam ille, nisi fallor, primus<sup>129</sup> uoluit, ut in educatione uniuersa hominis natura ita excoleretur ut omnibus numeris absoluta esset.<sup>130</sup> Non igitur solum nomen *humanitatis* mutatum temporique aptatum est, sed etiam res ipsa nescio quomodo paene in aliud conuersa est. Sed utcumque hoc est, nouum illud nomen *humanismi* tam iucundum uidebatur auribus, tam gratum animis, ut mox ubique uinceret et quasi triumpharet.<sup>131</sup> Fugata erant mox *studia humanitatis*, regnabat ubique *humanismus* - quem *Ismus* ipse tamquam signum doctrinae et seuerioris et elegantioris commendabat.

<sup>123</sup> Niethammer (1968) 166

<sup>124</sup> „[...] indem unläugbar wahre Classicität in allen Arten der Darstellung des Wahren, Guten und Schönen [...] nur bei den classischen Nationen des Alterthums angetroffen wird“ (p. 167), cf. p. 302-325. Cf. etiam Wolfium (1807) 115 sq.

<sup>125</sup> Niethammer (1968) 131-133 (uoce utitur „Animalität“). Vbi laudat facetissimam disputationem Ernesti Augusti Evers, *Über die Schulbildung zur Bestialität*, Aarauiae 1807 (nunc in: Rudolf Joerden [ed.], *Dokumente des Neuhumanismus I*, Weinheimii 1962, p. 46-87), qui „bestialitate“, non *humanitate* uiam beatam hominum contineri more satirico demonstrauit.

<sup>126</sup> De differentia subtiliter, sed paulo obscurius agit Rüegg (1950/1973) 184 sq.; cf. Rüegg (1946/1973) 172 sq.

<sup>127</sup> Quod uerbis ipsis quibus utitur indicat; nam titulus libri sine dubio reuocare debet locum illum Gellianum (p.4), quo *humanitas* opponitur τῆ φιλανθρωπία.

<sup>128</sup> Nec casu factum uidetur quod eo ipso tempore quo Niethammerus suum *humanismum* protulit orta est etiam illa doctrina qua linguae ueteres ad acuenda ingenia potissimum utiles esse dicuntur (quae Germanice uocatur „formale Bildung“).

<sup>129</sup> Neque ignoro iam saec. XV in Italia simili ut ita dicam uniuersalitati („l'uomo universale“) quosdam uiros studuisse; cf. Burckhardt (1860/1960) 167 sqq.

<sup>130</sup> Primum in libro „De ciuitatis finibus finiendis“ (*Ideen zu einem Versuch, die Gränzen der Wirksamkeit des Staats zu bestimmen*, 1792, in: *Werke*, vol. 1 [21969] 64): „Der wahre Zweck des Menschen [...] ist die höchste und proportionirlichste Bildung seiner Kräfte zu einem Ganzen“, deinde „De studio antiquitatis“ (*Über das Studium des Alterthums, und des griechischen insbesondere* (1793): „des edelsten Zwecks, der höchsten, proportionirlichsten Ausbildung des Menschen“ (in: *Werke*, vol. 2 [1961] 7). Graecos hominis partes ita quam plurimas excoluisse, ut is maxime unus et simplex maneret („Tendenz der Griechen, den Menschen in der möglichsten Vielseitigkeit und Einheit auszubilden“, vol. 2, 14). Similiter in Curriculo scholastico, quod Regiomontanis et Lithuanis gymnasiis scripsit („Der Königsberger und der Litauische Schulplan“ [1809], *Werke*, vol. 4, 168 -195), ubi, cum multa dicat de homine uniuerso excolendo („allgemeine Menschenbildung“), ipsam uocem *humanitatis* („Humanität“) uitat. Paulo aliter Fridericus A. Wolf (1807, 80 adn.) „*studia humanitatis*“ appellat omnia, „wodurch rein menschliche Bildung und Erhöhung aller Geistes- und Gemüthskräfte zu einer schönen Harmonie des innern und äußern Menschen befördert wird“.

<sup>131</sup> Vt Goethius iam quattuor uel quinque annis post Niethammerum hac uoce utitur (u. supra adn. 12), sed alio sensu atque ille. Etiam Arthurius Schopenhauer nouum sensum uoci addit, cum Ioannis Iacobi Rousseau opinionem de bona indole naturae humanae uituperat tamquam „Optimismus et Humanismus“ (quem opponit doctrinae Christianae de peccato originali); *Die Welt als Wille und Vorstellung*, vol. 2, lib. IV cap. 46 (*Sämtliche Werke*, ed. Arthur Huebscher, vol. 3, p. 672). Pauca exempla ex aliis linguis affert Charlet (2006) 35; cf. Rüegg (1950/1973) 185. Ergo paene idem accidisse uidetur *humanismo* atque olim *humanitati*, quae ut primum nata est, in diuersas notiones dispergebatur (supra p. 10 sqq.).

Et quoniam originem suam certe debebat *studiis humanitatis*, quae renescentium litterarum aetate floruisse dicuntur, mox eam ipsam aetatem nomen *humanismi* designare coepit. Quo id primum transtulisse dicitur Carolus Hagen, cum *De spiritu reformationis* scriberet,<sup>132</sup> deinde Georgius Voigt et Iacobus Burckhardt in libris nunc quoque utilissimis.<sup>133</sup> Postea Fridericus Paulsen, uir de historia institutionis Latinae mirifice meritus, hanc uocem *humanismi* denuo paululum nouauit et transtulit in aetatem Winckelmanni, Herderi, Goethei, quam nomine *Noui humanismi* („Neuhumanismus“) appellauit.<sup>134</sup> Eum quodammodo secutus Guarnerius Jaeger Ciceronem Romanosque ipsos quasi primos *humanistas* uocauit;<sup>135</sup> quare Jaegero alii mox *Tertium Humanismum* („Dritter Humanismus“) adscripserunt.<sup>136</sup> Gaudeamus igitur quod *Quartus* nondum successit!

Haec tamen omnia agebantur quasi intra muros scholarum, gymnasiorum, uniuersitatum, id est fere in eisdem locis ubi olim etiam *studia humanitatis* uiguerant. Latiorem autem campum *humanismo* aperuerunt ei qui eum rapuerunt in philosophiam, ut *humanismus* tamquam noua secta fieret, quales fuerunt *Platonismus*, *Epicureismus*, *Stoicismus*, *Ismi* ceteri. Sic Ferdinandus C.S. Schiller philosophus Britannus uel Americanus eam sectam quae nomine *pragmatismi* gaudere solet dicere maluit *humanismum*,<sup>137</sup> cuius id esse proprium dixit ut nullam putaret ueritatem aeternam: quaecumque uera aut honesta essent, ea pendere ex hominibus cuiusque actionibus, ut secundum illud Protagorae, quem laudauit, homo esset mensura rerum.<sup>138</sup> Ergo ut Niethammerus nobis sub nomine *humanismi* Platonem aliquem reuocauit, sic postea Schillerus ueteres sophistas, quos Plato oppugnauerat.

Sed quid nobis Ferdinandus Schiller, quid etiam Sartrius et Heideggerus, quos initio commemorauit? Longe notior his philosophus iam antea extiterat, qui hanc uocem *humanismi* in usum suum transtulit: Carolus Marx, quo uix quisquam post Martinum Luther magis populorum animos conturbauit. Is enim cum coepisset in manuscriptis iuuenilibus de *communismo* suo disputare, eum primo eundem esse uoluit atque *humanismum*, i.e. eum statum quo homo alienationem qua a se alienaretur superauisset - *alienationem* autem dico quam ipse uocauit „Entfremdung“ - et ad suam i.e. ad humanam naturam redisset.<sup>139</sup> Quod

<sup>132</sup> *Der Geist der Reformation und seine Gegensätze*, Erlangae 1841-1844, <sup>2</sup>1986 (it. 1966)

<sup>133</sup> G. Voigt, *Die Wiederentdeckung des klassischen Alterthums oder das erste Jahrhundert des Humanismus*, 2 vol., Berolini (1859) <sup>2</sup>1880/1881; Burckhardt (1860/1960) 229 sqq. Vbi animaduertendum est et Voigtium et Burckhardtium minus ipsam aetatem hoc nomine notauisse quam ea quae tunc celebrabantur *studia humanitatis*; quod uel titulus ipse operis Voigtiani declarat. Cf. Rüegg (1946/1973) 173 sq. (optime).

<sup>134</sup> *Geschichte des gelehrten Unterrichts auf den deutschen Schulen und Universitäten* [...], Lipsiae (1885) <sup>3</sup>1919: iam in prima editione passim legitur „neuer Humanismus“, interdum „Neuhumanismus“, „neuhumanistisch“.

<sup>135</sup> „Antike und Humanismus“ (primum 1925/26), in: Oppermann (1970) 18-32, ibi praesertim 27-29; similia plura apud Christes (1998) 46 adn. 6

<sup>136</sup> Eum primus inuenit Lothar Helbing: *Der dritte Humanismus*, Berolini 1932 (qui eum cum „fabula Tertii Imperii“ coniunxit). Nomen *Tertii Humanismi* ad Jaegeri disciplinam primus rettulisse uidetur a. 1937 Horstius Ruediger (cf. Rüegg [1946/1973] 337); sed iam Jaegerus ipse in opere celeberrimo scripsit: „Der kommende dritte Humanismus [...]“ (*Paideia: Die Formung des griechischen Menschen*, vol. 1, Berolini/Lipsiae 1934, 16); quem *humanismum* potissimum spectaturum esse ad hominem ut ad „animal sociale“ („der politische Mensch“) credit. In *humanismis* numerandis Jaegerus Romanos omisit (recte Lefèvre [1998] 40).

<sup>137</sup> Scripsit *Humanism*, Neo-Eboraci 1903, <sup>2</sup>1912; *Studies in Humanism*, Londini 1907, <sup>2</sup>1912; cf. A(lois) Rust, in: Ritter, *Hist. Wörterbuch*, vol. 12 (2004), 572 sq. (s.v. „Wert“).

<sup>138</sup> Hermann Diels / Walther Kranz (ed.), *Die Fragmente der Vorsokratiker*, vol. 2, Berolini <sup>6</sup>1952, 262-264 (n. 80, B1); de quo Schillerus, „From Plato to Protagoras“, in: *Studies* (u. adn. 137) <sup>2</sup>1912, 22-70. - Quare nunc ab nonnullis Protagoras *humanistis* adnumeratur; alii addunt Thalen, quod *Nosce te ipsum* praeceperit, aut Xenophanem, qui contra Homeri Hesiodique deos scripserit. Quid quod etiam Plato et Socrates *humanismi* doctores nonnumquam appellantur? Fortasse quia magnas partes agunt in Jaegeri *humanistae Paideia*.

<sup>139</sup> Unum locum eumque notissimum afferro: „Der Kommunismus als positive Aufhebung des Privateigentums als menschlicher Selbstentfremdung [...] ist als vollendeter Naturalismus = Humanismus, als vollendeter Humanismus = Naturalismus, er ist die wahrhafte Auflösung des Widerstreites zwischen dem Menschen mit der Natur und mit dem Menschen [...]“ (in: *Zur Kritik der Nationalökonomie - Ökonomisch-Philosophische Manuskripte*, in: K. Marx, *Werke*, ed. Hans-Joachim Lieber, Darmstadii, vol. 1, 593); plura inuenies in H.J.

Marxius cum fecit non Niethammerum, quem uix legerat, respexisse uidetur, sed, ut Gualterius Rüegg demonstrauit, alios amicos suos ut Brunonem Bauer, Mosen Hess, imprimis Arnoldum Ruge,<sup>140</sup> qui, ut Marxius ipse, numerantur inter *Hegelianos nouatores* („Junghegelianer“) siue *Hegelianos a sinistra* („Linkshegelianer“). E quibus Arnoldus Ruge, qui ipse antiquas linguas in schola docuerat, *humanismum* suum non solum doctrinam aliquam philosophicam esse uoluit, sed etiam genuinam religionem, quae Christianae religioni succedere deberet. Hoc enim statuit: „Humanismus religio est quae rebus terrestribus continetur“ („Humanismus ist die Religion des Diesseits“), cum Christiana religio homines ad res caelestes uocaret.<sup>141</sup> (Quam uocem *humanismi* non inepte ille elegerat, quia tum multi eorum qui antiquos mores praesertim ueterum Graecorum admauerant - ut Goethius aut Henricus Heine - Christianam disciplinam respuebant.) Hinc igitur in commentariis Marxii, quos adulescens Lutetiae Parisiorum et Bruxellae annis fere 1845 et 1846 scripsit, usus uocis *humanismi* frequentior est - donec illam abiecit.<sup>142</sup> Nam in posterioribus, ut in ipso *Manifesto Communistico*, non iam reperitur. Sed postquam abhinc fere octoginta annos noui Marxianae doctrinae sectatores ut Georgius Lukács illa scripta Marxii tunc nondum in publicum edita legere et publicare coeperunt, plurimi iterum de *humanismo* disputabant<sup>143</sup> - cuius etiam in uetere Germanica Republica Orientali („DDR“) maxima ueneratio erat.<sup>144</sup>

Hinc praecipue orta aut certe aucta uidetur illa notio *humanismi* de qua initio dixi, qua *humanismus* fere idem esse putatur atque *atheismus* i.e. opinio seu doctrina eorum qui deum esse negant. Hoc signo condita est a. 1929 Neo-Eboraci in America *Sodalitas Humanistica Prima* („First Humanist Society“), inter cuius conditores etiam Germani duo nobilissimi fuerunt, Thomas Mann, Albertus Einstein; inde multa alia collegia et sodalitates, quae nomen *humanismi* prae se ferunt.<sup>145</sup> Quorum opiniones etiam eo ualuerunt, ut ueteres illi qui *humanistae* uocantur, dico Petrarcam, Salutatum, Poggium multos alios, abhorruisse a theologia et a religione quae omnia in Deo poneret crederentur, quasi illa aetate renascentium litterarum in Dei locum Homo successerit, e theologia anthropologia facta sit (*humanismi* nomine appellanda). Sed id, quamquam saepe docetur, falsum esse cognoscet qui uel unius Petrarcae scripta legerit; is certe sua liberalium artium studia cum pietate Christiana quam maxime coniungebat: *humanitas* illa aetate ad eloquentiam excolendam, non ad religionem minuendam ualebat.<sup>146</sup> Illud autem discidium religionis et *humanitatis* neque a Cicerone neque a Melanchthone inuentum est, ne ab Herdero quidem.

#### *Humanismus an studia humanitatis?*

---

Lieber / Gerd Helmer (ed.), *Marx-Lexikon*, Darmstadii 1988, 330 sq. (legitur etiam „positiver Humanismus“ et saepius „realer Humanismus“). Cf. R. Romberg in: C. Menze et alii (1974) 1219-1222.

<sup>140</sup> Rüegg (1950/1973) 186-188

<sup>141</sup> Sequor Rüegg (1950/1973) 188.

<sup>142</sup> Causas explicat Rüegg (1950/1973) 193 sqq.

<sup>143</sup> Cf. Rüegg (1950/1973) 182 sq.; R. Romberg in: C. Menze et alii (1974) 1222-1225. Inter *humanistas* Marxianos numerari solent etiam Ernestus Bloch, Ericus Fromm, Lucianus Goldmann, Herbertus Marcuse.

<sup>144</sup> „*Virtutes humanisticae*“ etiam in Constitutionem rei publicae *DDR* irrepserunt (1968/1974; art. 18 § 1: „alle humanistischen Werte des nationalen Kulturerbes und der Weltkultur“), u. Birus (1994) adn. 2. - Wilhelm Schmid: „Der Humanismus war schließlich der zynische Schlüsselbegriff des SED-Regimes gegen jedwede kritische Regung, da ‚wir doch alle für den Humanismus sind‘“ (*Süddeutsche Zeitung* 27.3.1990); cf. Manfred Buhr / Georg Klaus, „Humanismus“, in: *Philosophisches Wörterbuch*, Lipsiae<sup>6</sup> 1969, vol. 1, 482-491; W(ilhelm) Goerd, „Sowjethumanismus“, in: Ritter, *Hist. Wörterbuch*, vol. 9 (1995) 1110 sq. De *humanismo* recentissimorum Marxistarum siue socialistarum disputat Frieder Otto Wolf, „Praktischer und theoretischer Humanismus im 21. Jahrhundert“, [http://sammelpunkt.philo.at:8080/740/1/wolf\\_humanismus.pdf](http://sammelpunkt.philo.at:8080/740/1/wolf_humanismus.pdf). Ac notum est etiam Michaelem Gorbatschow saepissime *humanistis* adnumerari.

<sup>145</sup> *International Humanist and Ethical Union* (1952); *Humanistische Union* (1961); *Humanistische Partei* (1984); *Humanistischer Verband Deutschlands* (1993); *Humanistische Aktion* (1994) ...

<sup>146</sup> Cf. Stroh (2007) 152 sqq.

Sed iam uos, sodales, fatigatos audiendo uideo et tacite uobiscum querentes: Quot tu nobis nomina obicis? Quot scriptorum locos? Quid igitur nos ipsi uis agamus in tanta confusione uerborum? Quomodo recte utamur his uerbis *humanitatis* et *humanismi*? Nam quae uera sit definitio eorum, uix iam quaerere audemus. Breuissime respondebo quid sentiam.

Ac primum quidem nomen *humanismi* mihi, ut uere fatear, etiam in recentibus linguis, nedum in Latina, neglegendum aut potius abiciendum uidetur: turpiter compositum est, ducentos abhinc annos natum, ueneratione uix dignum. Quo si quis utitur, ei certe propter plausibilitatem uocis omnes applaudent, sed alius aliud pro suo intellectu intellet. Hic de Socrate cogitabit (qui philosophiam de caelo ad homines deuocauerit), ille de Protagora (quod hominem mensuram rerum dixerit), alius Carolum Marx sibi finget (quod hominum miseriae causas primus uiderit), alius Diuum Franciscum (quod humanissime in misericordiae operibus uersatus sit). Vitemus igitur hoc uerbum quod, quamquam roboris ac uirium plenum uidetur, e plurimorum usu, pessimorum quoque, ut meministis, attritum et inualidum iam paene sensu carere coepit. Aut si quis tamen eo pertinaciter uti uoluerit, redeat ad id ipsum quod Niethammerus, inuentor *humanismi*, finiuit, nempe ut ea sit *uniuersa hominis formatio*, quae scriptis ueterum maxime nititur.<sup>147</sup>

Sed multo praestat, quantum equidem iudico, in usu uerborum reuocare illa uetera *studia humanitatis*,<sup>148</sup> de quibus Cicero dixit, praesertim in orationibus *pro Archia* et *pro Murena* habitis. Quae studia ille in artibus utilissimis posita esse uoluit: in grammatica, quae etiam poeticae fundamentum est, et in rhetorica, qua omnis eloquentia et cura sermonis continetur. Hae enim artes, quia linguam excolunt, humanae naturae maxime coueniunt, quae lingua ac sermone a bestiis plurimum differt. Huc accedat philosophia necesse est - nam eam quoque Cicero *studiis humanitatis* adnumerat -, qua efficitur ut non solum bene dicamus, sed etiam bene sentiamus. Neque *humanitas* tamen, si Ciceronem sequimur, nos, cum ad philosophiam uocat, certis quibusdam sententiis philosophorum addicit, nec praescribit, quid de bono et malo, de fato aut de libero arbitrio, de mortalitate aut aeternitate animae credamus. Vocat autem illa *humanitas* etiam ad ea studia quae sunt geometriae arithmeticae physicae, quae, cum res diuinas attingere ueteribus uisa sint, tamen certe humana sunt maxime.

Has igitur artes tam ad humaniter uiuendum necessarias quam ad plurima utiles, si hoc nomine *studiorum humanitatis* notabimus, et Ciceronem ut grauissimum auctorem sequemur et adstipulabimur eis uiris doctissimis qui renascentium litterarum tempore etiam haec studia renouauerunt. Eadem opera autem, siquidem magistri sumus iuuentutis, etiam id curare debemus ut in hac *humanitate* non solum cultus animi, sed etiam illa morum mansuetudo insit, quae cum ipsa e conscientia condicionis humanae nata esset, omni *humanitati* nomen dedit.

Ac non equidem ausim id dicere quod quosdam uiros ingeniosos, ut Isocratem, Ouidium, Plutarchum, Melanchthonem, Herderum affirmauisse audiuius: nempe *humanitatis* studiis ac praesertim cura eloquentiae per se effici ut homines mitiores meliores humaniores fierent<sup>149</sup> - quamquam quid optandum esset magis! Vidimus nuper ex ipsis *humanitatis* gymnasiis eas euadere bestias humana figura indutas, quibus si comparetur, Sulla, ne dicam Busiris ipse, clemens esse uideatur. Nec nos ignoramus Iosephum Goebbels, praeconem inhumanitatis, in deliciis habuisse Ciceronis orationes,<sup>150</sup> Henricum Himmler, innumerorum hominum trucidatorem, in gymnasio uetere Iesuitarum Monacensi optimis litteris operam dedisse.<sup>151</sup>

<sup>147</sup> Cf. supra p. 18.

<sup>148</sup> Germanice dicantur „Humanitätsstudien“, Anglice „humanities“ (qua uoce iam nunc uti solent), similiter in aliis linguis.

<sup>149</sup> Cf. supra p. 16 sqq. Iure dubitauit iam Fridericus Dedekind, cf. supra adn. 106.

<sup>150</sup> Stroh (2007) 170

<sup>151</sup> Cf. Rolf Selbmann, *Vom Jesuitenkolleg zum humanistischen Gymnasium: Zur Geschichte des Deutschunterrichts in Bayern zwischen Gegenreformation und Gegenwart am Wilhelmsgymnasium München*, Francofurti ad M. 1996, 156-158; notum est Himmleri patrem ipsum Graece et Latine docuisse, de quo digna

Quod si ei, qui doctrinae illi Isocrateae addicti sunt, nimis creduli esse ac melius quam oportet de humana natura sentire nobis uidentur, meminerimus Ciceronem quidem ipsum talia numquam docuisse et tamen hac una uoce *humanitatis* et summam eruditionem ingenii et morum mitissimam mansuetudinem esse complexum.<sup>152</sup> Hic enim sensit, etsi litterae non continuo bonos uiros reddant, eiusdem tamen esse hominis et artibus et humanitati siue probitati studere. Quare ne id quidem umquam obliuiscamur quod origo et historia huius uocabuli nos docuit: omnia *humanitatis studia* ex illo sensu humanitatis effluxisse, qui homines inter se iungit mansuetosque reddit.

### Scripta saepe laudata

Apel, Hans Jürgen / Stefan Bittner: *Humanistische Schulbildung 1890-1945: Anspruch und Wirklichkeit der altertumskundlichen Unterrichtsfächer*, Coloniae & al. 1994

Birus, Hendrik: „The Archeology of Humanism“ (= Birus 1994), <http://pum12.pum.umontreal.ca/revues/surfaces/vol4/birus.html>. Accedit disputatio in mensa rotunda („Round table discussion“) nouem uirorum doctorum (= Birus 1996), <http://pum12.pum.umontreal.ca/revues/surfaces/vol6/birus.html>

Buchheit, Vinzenz: „Gesittung durch Belehrung und Eroberung“, *WJA N.S.* 7, 1981, 183-208

Buck, August: *Humanismus: Seine europäische Entwicklung in Dokumenten und Darstellungen*, Friburgi / Monachii 1987

Burckhardt, Jacob: *Die Kultur der Renaissance in Italien* (1860)<sup>2</sup>1869, ed. Walther Rehm, Stutgardiae (Reclam) 1960

Charlet, Jean-Louis: „De l’humaniste à l’humanisme par les humanités: histoire de mots“, in: Ladislaus Havas / Emericus Tegye (ed.), *Hercules Latinus* (Acta colloquiorum 2004 Aquis Sextiis, 2005 Debrecini habitorem), Debrecini 2006, 29-39

Christes, Johannes: *Cicero und der römische Humanismus*, in: Stiftung „Humanismus heute“ 1998 (u. infra), 45-73

Ehlers, (Wilhelm): „humanitas“, *Thesaurus linguae Latinae* VI 2/3 (1934), 3075-3083

Hadot, Ilsetraut: „Geschichte der Bildung; artes liberales“, in: Fritz Graf (ed.), *Einleitung in die lateinische Philologie*, Stutgardiae / Lipsiae 1997, 17-34

Haffter, Heinz: „Die römische Humanitas“ (primum 1954), nunc in: Oppermann (1967), 468-482

Idem: „Neuere Arbeiten zum Problem der Humanitas“, *Philologus* 100, 1956, 287-304

Harder, Richard: „Die Einbürgerung der Philosophie in Rom“ (primum 1929), in: R. H., *Kleine Schriften*, Monachii 1960, 330-353

Idem: „Nachträgliches zu Humanitas“ (primum 1934), in: R. H., *Kleine Schriften* (u. supra), 401-412

Heidegger, Martin: *Platons Lehre von der Wahrheit: Mit einem Brief über den Humanismus*, Bernae 1947 (= <sup>2</sup>1954, <sup>3</sup>1975)

---

quae legatur est fabella Alfredi Andersch, „Der Vater eines Mörders“, cuius pars in: Klaus Westphalen (ed.), *Professor Unrat und seine Kollegen*, Bambergae 1986, 118-126.

<sup>152</sup> Cf. supra p. 13 sq.

- Heinemann, I.: „Humanitas“, *RE Suppl.* V (1931), 282-310
- Herder, Johann Gottfried von: „Briefe zu Beförderung der Humanität“ (primum 1793 sqq.), denuo ed. Ioannes a Müller, in: *Sämmtliche Werke: Zur Philosophie und Geschichte*, pars 13/14, Stutgardiae/Tubingae 1829
- Hiltbrunner, Otto: „Humanitas (φιλανθρωπία)“, *Reallexikon für Antike und Christentum*, vol. 16 (1994), 711-752
- Kessler, Eckhard: *Das Problem des frühen Humanismus: Seine philosophische Bedeutung bei Coluccio Salutati, Monachii* 1968
- Klingner, Friedrich: „Humanität und Humanitas“ (primum 1947), nunc in: *Römische Geisteswelt*, Monachii <sup>5</sup>1965 (it. Stutgardiae 1979), 704-746
- Kohl, Benjamin G.: „The Changing Concept of the *Studia humanitatis* in the Early Renaissance“, *Renaissance Studies* 6, 1992, 185-209
- Kristeller, Paul O.: „Die humanistische Bewegung“ (primum Angl. 1955), in: *Humanismus und Renaissance I: Die antiken und mittelalterlichen Quellen*, Monachii s.a. (1974) 11-29
- Idem: „Humanismus und Scholastik in der italienischen Renaissance“ (primum Angl. 1944/45), in: *Humanismus und Renaissance I* (u. supra) 85-111
- Lefèvre, Eckard: *Humanismus und humanistische Bildung*, in: Stiftung „Humanismus heute“ (u. infra) 1998, 1-43
- Mayer, Josef: *Humanitas bei Cicero*, Diss. Friburgi/Br. 1951 (machina scriptum, nondum typis expressum)
- Menze, C(lemens) / R(einhard) Romberg / I(ngetrud Pape): „Humanismus / Humanität“, in: Ritter, *Hist. Wörterbuch* (u. infra), Bd. 3 (1974), 1218-1230
- Mühl, Max: *Die antike Menschheitsidee in ihrer geschichtlichen Entwicklung*, Lipsiae 1928
- Müller, Reimar: „Herder und das Erbe Ciceros“, in: *Ciceroniana* N.S. 6 (= *Acti del VI Colloquium Tullianum*, 18-20 apr. 1986), Romae 1988, 159-171
- Niethammer, Friedrich Immanuel: *Der Streit des Philanthropinismus und Humanismus in der Theorie des Erziehungs-Unterrichts unserer Zeit*, Jena 1808, nunc in: Werner Hillebrecht (ed.), F. I. Niethammer, *Philanthropinismus - Humanismus: Texte zur Schulreform*, Weinheimii / Berolini / Basileae 1968, p. 79-445 (editio anastatica)
- Oppermann, Hans (ed.), *Römische Wertbegriffe*, Darmstadii 1967
- Idem (ed.): *Humanismus*, Darmstadii 1970
- Pfeiffer, Rudolf: *Humanitas Erasmiana*, Lipsiae/Berolini 1931
- Idem: *Die Klassische Philologie von Petrarca bis Mommsen* (primum Angl. 1976), Monachii 1982
- Pohlenz, Max: *Die Stoa: Geschichte einer geistigen Bewegung*, 2 vol., Gottingae (1959) <sup>4</sup>1970
- Reiner, Hans: „Humanitas - Grundlagen und Gestalten der Humanität in der Antike“, *Die Sammlung* 4, 1949, 684-693; 734-742
- Reitzenstein, Richard: *Werden und Wesen der Humanität im Altertum*, Argentorati 1907
- Rieks, Rudolf: *Homo, humanus, humanitas: Zur Humanität in der lateinischen Literatur des ersten nachchristlichen Jahrhunderts*, Monachii 1967
- Ritter, Joachim (Hg.): *Historisches Wörterbuch der Philosophie*, 13 vol., Basileae (Darmstadii) 1971-2007



Rüegg, Walter: „Der Begriff ‚Humanismus‘“ (primum in: W. R., *Cicero und der Humanismus: Formale Untersuchungen über Petrarca und Erasmus*, Turici 1946, 1-6); it. in: Rüegg, *Anstöße* (1973), 171-175

Idem: „Zur Vorgeschichte des humanistischen Marxismusbegriffs“ (primum 1950), in: Rüegg, *Anstöße* (1973), 180-197

Idem: *Anstöße: Aufsätze und Vorträge zur dialogischen Lebensform*, Francofurti ad M. 1973

Schadewaldt, Wolfgang, „Humanitas Romana“, in: *Aufstieg und Niedergang der römischen Welt*, I vol. 4, Berolini/Neo-Eboraci 1973, 43-62

Schneidewin, Max: *Die antike Humanität*, Berolini 1897

Sloterdijk, Peter: „Regeln für den Menschenpark: Ein Antwortschreiben zum Brief über den Humanismus [sc. Heideggeri] - die Elmauer Rede“, *Die Zeit* Nr. 38, 18.9.1999, 15, 18-21

Snell, Bruno: „Die Entdeckung der Menschlichkeit und unsere Stellung zu den Griechen“ (primum 1947), in: B. S., *Die Entdeckung des Geistes*, Gottingae<sup>5</sup>1985, 231-243

Stiftung „Humanismus heute“ des Landes Baden-Württemberg (ed.), *Humanismus in Europa*, Heidelbergae 1998

Stroh, Wilfried: *Latein ist tot, es lebe Latein! Kleine Geschichte einer großen Sprache*, Berolini 2007

Thome, Gabriele: *Zentrale Wertvorstellungen der Römer I: Texte - Bilder - Interpretationen*, Bambergae 2000

Wolf, Friedrich August: *Darstellung der Alterthums-Wissenschaft*, Berolini 1807 (it. Berolini 1986, cum epilogo Ioannis Irscher)